



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

DISSERTATIO JURIDICA  
DE  
**CURIOSITATE,**

QUAM  
ANNUENTE SUMMO NUMINE,  
MAGNIFICO FCTORUM ORDINE IN ILLU-  
STRI HAC VIADRINA PERMITTENTE

PRÆSIDE

DECANO SPECTABILI

DN. SAMUELE STRYKIO, JCTO.  
COMIT. PALAT. CÆSAR. & PANDECT.  
PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO.

PATRONO, PRÆCEPTORE ET  
HOSPITE SUO ÆTERNUM  
DEVENERANDO.

*Die Maji, Anno M. DC. LXXVII.*

PLACIDO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

AUTOR

URBAN DIETRICH Luedcke/  
HALL. SAX.

---

*Francofurti ad Viadrum.*

Typis Hæredum JOHANNIS ERNESTI, Acad. Typogr.



PRÆFATIO.



D curiosum reservati sumus seculum, in quo ea, quæ curiositatem non redolent, aut curantur parùm, aut planè negliguntur; Flocci habentur vulgaria, nec cogitatione quadam reputantur digna illa, quæ omnibus notasunt; Vix hodie quicquam gratum, cui non aliqua invigilavit curiositas; Vix quicquam diligitur, quod non à curioso profectum ingenio. Curiositas cuncta æstimat, atque sua rebus destinat pretia. Nec pretiosas modò summasque eadem scrutatur res, & jam Principum sese miscet Consiliis, jam ipsam Summi Numinis scientiam introspicere audet; Sed viliora quoque non negligit, ipsasque & herbas, & ligna, & lapides considerat; Imò nihil planè relinquit intactum. Circa hanc itaque quid Jura nostra statuunt, quando eandem præcipiant vel permittant, quando contra improbent, eum vix à quopiam, quantum mihi quidem constat, congestum sit, non indignam arbitratus sum Curiositatis materiam, quæ publica quadam Dissertatione proponeretur. Quod ut fiat felicius, à Te, Supreme DEUS, gratiam, à Te verò, L. B. erratorum omisorumve veniam expeto.

# CAPUT I.

DE

## Curiositate in genere.

### SUMMARI.

<b>C</b> uriositatis Etymologia. n.1.	Transitus ad juridicam Curiosi-
Curiosi unde dicti? 2.	tatem. 18.
Curiositas Politica quid sit? 3.	Quam nos nō accipimus pro evo-
Curiositas Astrologica quid, & an licita sit? 4.	lutione Legum curiosarum. 19.
Cardanus perstringitur. 5.	Nec pro scrupulosa inquisitione
Peccant, qui Diluvium & Extre-	rationum Juris, & excogi-
mum Diem ex Astris predici	tatione questionum curiosa-
posse scribunt. 6.	rum. 20. 21.
An quis salvā cōscientiā & bema-	Quid ea tandem sit? 22.
te natalitio uti possit? 7. 8. 9.	Moralista quomodo Curiosita-
Curiositas Philosophica quid? 10.	tem accipiant? 23.
Curiositas Critica quid? 11.	Quomodo illorum acceptio à no-
Curiositas Theologica remissivē.	stra differat? 24.
12.	Moralistis Curiositas vitium
Curiositas Medico-Physica. 13.	est. 25. 26.
Collegiorum Curiosorum exem-	Curiositas in se neque bona neq;
pla. 14. 15. 16. 17.	mala est. 27.
	Talis verò fit per accidens. 28.

1. **U**T de Curiositatis vocabulo multa hīc cumulem, operæ haud duco pretium, cum indubium penes omnes sit, illud secundum simplicitatem Grammaticam à Curiosus, & hoc à Cura vel Curando dictum esse. Sufficit mihi, illud cum aliis eidem cognatis in jure nostro non semel reperiri, ut in l. 3. §. 9. ff. de in rem verso, l. 33. ff. de usuris. l. 6. & l. 9. §. 2. ff. de juris & facti ignor. l. 5. C. de malef. & matrem. Conferri hīc quoque poterit tot Tit. C. de Curiosis Stationariis. Quod enim hi non à Curia Principis, dum scil.

scil. in ea commissa ad Præfectos referre tenebantur, prout *Alciatus in Rubr. Cod. de Curiosis & Stationariis* statuit, sed à Curiositate nomen sortiti sint, non solùm ex eo patet, quòd officii eorum cardo in eo potissimùm vertebatur, ut ea, quæ contra quietem publicam commissa erant, curiosè pervestigarent, & ad Præfectos referrent. *B. Du. Brunnem. in Comm. C. add. t.* unde & Exploratores, Indices, *ἰσθλαμοὶ* Principis, item Delatores dicti sunt, vid. *Jacob. Gorbhofredus ad l. 4. C. Theodos. de Curiosis. Petrus Gregor. Tholosan. in Synt. Jur. Univ. l. 32. c. 4.* Sed & ex *l. 6. ff. de juris & facti ign.* manifestum est, utpote in qua expressè Delatoribus Curiositas quædam assignatur, & Delatoria Curiositas pro exquisitissima diligentia dicitur. Quid verò nobis Curiositatis vox hoc loco denotet, paulò explicare distinctiùs magis necessarium esse arbitror, præsertim cùm ejusdem species communiter constitui soleant satis multæ. Est enim alia Curiositas Politica, quâ hujus scientiæ Assectæ circa cognoscendas omnium in Republica accidentium casuum ac mutationum causas nimis laborant; Atque hæc ex Providentiæ Divinæ circa Resp. ignorantia est. Conf. hic *Hornii Orbis Politicus Aph. 3. Proæm. p. 2.* Alia deinde Astrologica est, quâ quis ex siderum positu præteritorum causas quærit, vel futura prædicit; Et hanc non adeo vituperandam esse, sed tanquam egregium ingenii lusum tolerandam plerique consentiunt, modò ab usu secernatur abusus & omnis exulet superstitio.. Hoc enim si non fiat, proh DEUM, quantas quàmque sæpius impias isthæc Curiositas parit absurditates! Non jam adducam temerariam illam Cardani impietatem, quem Sanctissimo humani generis Salvatore natalitium thema erigere, & violentam mortem ei Astra minitata fuisse, scribere non puduit, vapulat enim ille ideo *Wagnero in præfatione ad Lectorem Astrologiæ Genethliacæ.* Taceam quoque illos, qui Diluvium

- Noëticum ex Astrorum observatione prædici potuisse scribunt, vel qui Extremi iudicii diem, cujus tamen scientiam solus sibi DEUS unicè reservavit, adhuc ex stellarum positu prænoscere laborant; Hos enim omnes Curiositate sua in Ter Maximi Numinis omniscientiam insigniter peccasse, quotusquisque est, qui eat inficias? vid. *Balduin. in Casibus Conf. l. 3. Cap. 6. cas. 2. Conf. Mengerin in Scrutin. Conf. c. 14.*
7. *qu. 29.* Placet hic, cum hæc pertineat, illam proponere, quæstionem: An scilicet quis salvâ conscientiâ themate natalitio & Prædictionibus Astrologicis uti, iisdemque confidere possit? Dissidentes super hac quæstione reperire licet Moralistarum filios, cum alii horum thematum usum planè damnent, quibuscum facit *Dante in Casibus Conf. cap. 3.*
8. *qu. 3.* aliis contra illum approbantibus. Mihi eorundem usui nihil impietatis inesse videtur, modò itidem hæc inter usum & abusum exacta fiat distinctio. Nam si quis ex siderum positu hominis noviter nati temperamentum, mores, aliave hinc dependentia prædicere conetur, nihil peccabit; Possè enim talia ex Astris, non quidem sub infallibili aliqua necessitate, sed verisimiliter, videlicet nisi DEUS, qui totius vitæ nostræ Summus est Director, per causas alias aliter disposuerit, colligi, experientia hucusque satis comprobavit.
9. Contra verò, si quis quovis rerum eventus fortuitos, quælibet occulta & hominibus incognita, ex. gr. quid cras vel perendie in rebus illis, quæ simpliciter libertati hominum subiectæ sunt, futurum sit; item futuram hominis conditionem, vitæ mortisque genus divinare, & huic Divinationi certò confidere velit; ille utique non solum se nimium quantum falleret, sed & Curiositate sua conscientiæ vulnus addet haud exiguum. vid. *Balduin cit. loco.* Sed ad reliquas species redeundum mihi, ubi se tertio offert Curiositas Philosophica, quæ circa explicandas perplexas illas antiquiorum Philosophorum

rum distinctiones, & excogitandas novas, quæ non statim ab omnibus intelligi possunt, sollicita est. Hæc percitus Hermolaus quidam Barbarus à diabolo certi cujusdam termini Aristotelici, quem ipse intelligendo non erat, explicationem petiit. Atque hæc quemadmodum nunquam non inutilis, ita si ejusmodi accedant circumstantiæ, oppidò damnabilis est. Ejusdem ferè farinæ est illa Criticorum Curiositas, quæ hujus generis homines ob literulæ vel syllabæ mutationem magis quandoque reddit sollicitos, quàm suæ salutis cura. Conf. de illa judicium *Constantini Germanici in Itinerario Politico* p. 34.

Sed diutius ancillantium disciplinarum Curiositati me non dabo, cum de illa, quæ in superioribus Facultatibus adhiberi solet vel debet, adhuc dicendum restet. Sistit ibi se primò Curiositas Theologica, quam, cum de ea in sequenti Capite aliqua instituto nostro inservientia proponenda sint, hic anticipare nolo. Excipit hanc illud Medicorum Studium, quod circa arcanorum naturalium cognitionem occupatum est, soletque vulgò Curiositatis Medico-Physicæ insigniri nomine. Et quemadmodum illud præter insignem, quam parit, jucunditatem utilitate sua non destituitur; Ita suis quoque non caret & Cultoribus & Promotoribus. Pro- movit quippe hoc Serenissimus Magnæ Britannæ Rex CAROLUS II. constituendo Societatem Regiam, à scopo suo Collegium Experimentale Anglicanum vocatam, cui præter Ducem Eboracensem Regis Fratrem, plurimosque Regni Proceres ipse Rex associare se voluit. vid. *Sacri Romani Imperii Academici natura Curiosum in Historia Ortus & progressus sua Academia præmissa Miscellan. Curios. Anno 2.* Promove- runt hoc Magni Hetruriæ Duces, quorum Autoritate ac favore Collegium Experimentale Florentinum, Academia del Cimento dictum, florescit. vid. *Historia jam allegata*



- 16 *legata p. 11. Conf. Sachsus in Gammarologia l. 1. c. 3. §. 20.* Promovit hoc Romæ Princeps S. Angeli, Federicus Cæsius, utpote cui Academia illa Lyncea, cujus membra Humoristarum hodie dicuntur nomine, suam debet originem, de qua vid. *Georg. Segeri Oratio de Curiositate Physica, & alios ibi*
- 17 *alleg.* Promovit hoc Augustissimus noster LEOPOLDUS, S. Romani Imperii Academiam naturæ Curiosorum non solum approbando, sed & eidem naturæ quædam arcana ex Thesauro Cæsareo communicando, de quo vid. *Historia hujus Academia supra alleg. pag. penult. & ult.* Et quis omnes illos, qui vel favore, vel cura isthoc adjuverunt studium e-
- 18 numerare valeret? vid. *Sachsus d. l. §. 3. & seqq.* Instituti mei ratio id non patitur, hinc ad scopum propero, & Juridicam demum Curiositatem, cui hæ præcipuæ sunt dicatæ paginae,
- 19 aggredior. Per hanc autem non solam illam intellectam volo industriam, quam nonnulli in inquirendis jucundis & ad diversam interpretationem aptis legibus, quas Curio-
- 20 sas vulgus appellat, ponunt. Nec accipio eam secundum mentem illorum, qui juxta illud *Taciti in sin. L. 2. Annal.* recentium incuriosi, vetera extollunt, & tunc demum se veri Jcti nomen merituros autumant, si in omnes antiquatarum legum rationes & circumstantias, quæ tamen ad solidam juris scientiam nihil plane conferunt, inquirunt curiosius, vel ad inveniendos novos casus, quorum tamen contingentiam sperare naturæ ratio non admittit, omnes movent lapides. Hos enim in quisquilliis hærerere, & una cum sumptibus omne
- 21 & tempus & oleum & operam perdere, nemo negabit. *Ad quid enim conduces scire, num in urbe justitia, vel extra pomeria humanitas olim carnificibus habitationes decreverit? Quis meretriciis titulis color, qua fornicibus angustia fuerint? Ubi sacrum urinarium, quo Patres conscripti vesicam exoneraverint? Quot gradibus in Capitolium isum fuerit? Ecquem in sinem ali-*  
quando

quando disputata fuerunt ista? An is, cui caput gladio abscis-  
sum est, si contingeret eum reviviscere, rursus eodem supplicio  
maledandus sit? An Lazarus redivivus uxorem suam repetere  
potuisset? An resurgens à mortuis testamentum prius rumpat?  
Cujus ovum fiat, quod à variis gallinis positum est? Talia pro-  
fecto risu potius, quàm enodatione digna sunt, & tamen in u-  
tramq; partem sæpius magna cum contentione ventilantur, quæ  
verba sunt Magnifici Dn. Ziegleri in Præfat. ad Lectorem præmis-  
sa B. Eckolti Comment. ad D. Sed cum istam Curiositatem, 22  
ceu supra dictum, meam hic facere nolim, longior in ea non  
ero, sed quid tandem Dissertationis nostræ titulus sibi velit,  
descriptione quadam explicabo. Est itaq; nobis *CURIOSITAS*  
*studium quoddam hominum, diversas sapiusq; alienas res inqui-*  
*rentium, ut vel sibi vel aliis prosint, vel damnum, quod omisso*  
*hoc studio, ingruere poterat, defugiant.* Sive brevius; est *sol-*  
*licita in casus obvientes inquisitio.* Ex allata definitione 23  
manifestum fiet, me Curiositatis vocabulum non ad eum  
tantum significatum restrictum velle, in quo plerisque  
Moralium venire solet Doctoribus. Statuunt enim hi Cu-  
riositatis suæ finem plane alium, & ab illo, quem nostra in-  
tendit curiositas, longè diversum. Is quippe Moralists cu-  
riosus solummodo dicitur, qui in rem aliquam inquit af-  
fectu solius cognitionis, vel qui aliquid scire cupit, tantum  
ut illud sciat. Quod si verò affectu non cognitionis, sed ope-  
rationis, quis scire quid conetur, v. gr. ut sua vel aliorum  
commoda promoveat, ille secundum Moralistarum acce-  
ptionem curiosus amplius dici non poterit. Vid. *Lessius de*  
*Justitia & Jure l. 4. c. 4. Dub. 11. n. 80.* Ego vero, sub ea, quam 24  
expono, Curiositate ipsum operationis affectum compre-  
hensum quoque volo. In sola enim eademque otiosa con-  
templatione & cognitione jus nostrum non acquiescit, sed  
ulterius progreditur, & ea, quæ diligenti contemplatione

25 cognovit, utilitati vel publicæ vel privatæ applicat. Deinde in eo quoque à Moralistis divortium facere cogor, quod hi Curiositatis vocem in sequiorem semper accipiant partem, illamque studiositati, tanquam virtuti, contradistinguunt. Vid. *Lessius alleg. loc. Conf. Amesius de conscientia* &

26 *ejus jure l. 3. c. 2. § 2.* ubi in §. 3. subjicit, Curiositatem, scilicet illam, quam vitandam antea monuit, esse quintuplicem. (1.) cum illa scire volumus, quæ Deus non revelavit, (2.) cum illa quærimus, quæ nihil spectant ad nos, (3) cum minus necessariis maximè studemus, (4.) cum difficiliora quærimus, principiis neglectis, (5) cum non simpliciter acquiescimus in DEI voluntate, sed rationem ejus volumus

27 videre. Verùm cum vocabulum nostrum naturâ suâ *μίσος* sit, & cum in bonam tum in malam significationem accipi possit, quod & ipse allegatus *Lessius d. l.* agnoscit, dum *n. 81.* curiositatis cujusdam non malæ & adiaphoræ mentionem, injicit; Adhæc ipsum quoque cognoscendi desiderium in se nulla vitiositate laboret, licebit mihi illud generaliter accipere, adeo ut Curiositas absolutè & in se considerata, neque

28 bona neque mala, adeoque nec virtus nec vitium mihi sit. Illa enim bonitas & malitia, ob quam Curiositas in Jure nostro vel præcipitur vel prohibètur, per accidens eidem accedit, vel ex objecti qualitate, vel investigantis intentione. Nam si circa res licitas licitò modò occupata sit Curiositas, eadem à Jure nostro præcipitur; Si verò in res vel illicitas, vel licitas illicitò modò inquireat, ab eodem prohibetur & damnatur. Verùm hæc cum exemplis futura sint clariora, pergo ad reliqua, meque accingo ad

## CAPUT II.

# CAPUT II.

## DE

### Curiositate circa Sacra.

#### SUMMARI A.

<p><b>P</b>otestas circa sacra vel interna est, vel externa. n. 1.</p> <p>Quomodo hac differant. 2.3.4.5.</p> <p>Hæreticus quis? 6.</p> <p>Princeps debet esse curiosus circa inquirendos hæreticos. 7.</p> <p>Visitationis domestica utilitas. 8.</p> <p>Pastori visitanti quid observandum? 9.</p> <p>An pastores ad visitationem domesticam in conscientia obligati? 10.</p> <p>Affirmatur. 11. 12. 13.</p> <p>In domestica visitatione non licitus est persona respectus. 14.</p> <p>Non debent Pastores sub prætextu visitationis alienis negotiis se immiscere. 15.</p> <p>Visitatio domestica hodie rara. 16.</p> <p>Hinc sacerdotibus ea injungenda. 17.</p> <p>Hæretici in religione melius informandi. 18. 19.</p> <p>Non ad eam cogendi. 20.</p> <p>Princeps prohibere potest publi-</p>	<p>cationem conceptum &amp; turbulentam religionis defensionem. 21.</p> <p>Quid porro possit? 22.</p> <p>An hæreticus puniri possit? 23.</p> <p>Affirmatur. 24.</p> <p>Pœna Domini territorium ab hæreticis non purgantis 25.</p> <p>Crudelitas quorundam in inquisitione hæreticorum. 26.</p> <p>Hæreticus panâ capitali non afficiendus. 27.</p> <p>Nisi aliud delictum concurrat. 28.</p> <p>An Princeps possit permittere religionum libertatem? 29.</p> <p>Negatur. 30. 31.</p> <p>Limitatur. 32.</p> <p>Transitus ad curiositatem Theologicam. 33.</p> <p>Perversa curiositas est, si quis scire velit res non revelatas &amp; non necessarias. 34. 35.</p> <p>Exempla bujus Curiositatis. 36.</p> <p>Perversè curiosus est, qui res quidem</p>
---	---

<i>quidem necessarias servatur, sed alio fine.</i> 40. 41.	<i>Non omnis rationis usus in Theologia damnatur.</i> 49.
<i>Curiositas illa cur vitanda.</i> 42. 43.	<i>Haereticorum scribis an quibus interesse possit videndi gratia?</i> 50.
<i>Qualis simplicitas requiratur in rebus fidei?</i> 44.	<i>Affirmatur</i> 51.
<i>Sana Curiositas versatur circa ad res salutem necessarias.</i> 45.	<i>Cautiones hic observanda.</i> 52.
<i>Necessaria ad salutem quoniam?</i> 46.	<i>Interesse quoque licet officii causa.</i> 53.
<i>Legitimè in Theologicis curiosus quid intendat?</i> 47. 48.	<i>Electores celebrationi missa in electione Imperatoria bodie intersunt.</i> 54.

1. **D**uplicem esse illam, quae hominibus circa sacra competit, potestatem, aliam scilicet Dogmaticam sive internam, aliam Architectonicam sive externam, notum est. Illa per verbi ministros & ecclesiasticas personas expeditur, & solius Dei, non hominis subjacet imperio, adeoque mere ministerialis est, nec in cogendo, sed dirigendo consistit. Haec ad Principem spectat, ejusque subest arbitrato. Hinc Imp. Theodosius & Valentinianus in *Novell. de Judaeis, Samar. haeret. & paganis. Inter ceteras, inquirunt, sollicitudines, quas amor publicus pervigili cogitatione nobis induxit, praecipuam Majestatis curam esse perspicimus, verae religionis indaginem, cujus si cultum tenere potuerimus, iter prosperitatis humanis aperimus inceptis.* Nec mere tantummodò suavis vel directiva est haec potestas, sed vim quandam coactivam habet comitem, quae pro re nata in refractarios & immorigeros potest animadvertere, & illud, quod non valet sacerdos efficere per doctrinae sermonem, implere per disciplinae terrorem. *cap. Princeps. 20. c. 23. qv. 5.* Illa circa res ecclesiasticas exercetur ecclesiasticè, scil. praedicando

cando & interpretando verbum divinum, administrando sacramenta, remittendo & retinendo peccata &c.

Hæc circa ecclesiastica quidem exercetur, non tamen 5. ecclesiasticè, sed modo quòdam civili, & absolvitur eadem potissimum Religionis in Remp. introductione, & alterius reformatione s. ejectione, sacerdotum & personarum ecclesiasticarum constitutione & remotione, bonorum ecclesiasticorum administratione, ceremoniarum dispositione, festorum indictione, ecclesiæ defensione, & vigili circa hæreticos inquirendos & in ordinem redigendos Curiositate. Vid. *Dn. Ziegl. ad Lancellot. Inst. Juris Canon. l. 2. t. 20. §. 17. Conf. Ejusdem Diss. 5. de Juribus Majest. & Brochmand. in System. Universa Theologia Tom. 2. art. 42. c. 1. sect. 3.* quæ cum ad nostrum pertineat thema, in illa nos paulisper detinere, non erit inutile.

Qui verò hæreticorum veniant nomine, cum non sta- 6. tim omnis, qui à nobis aliquando dissentit, pro tali haberi debeat, *Dn. Ziegl. ad Lanc. l. 1. tit. 20. §. 4.* non convenit inter omnes. In *l. 2. C. de Hæreticis* omnes hæretici vocantur, qui levi argumento à judicio Catholicæ Religionis detecti fuerint deviare. In *Nov. 115. c. 3.* Hæretici dicuntur, qui Religionem in Conciliis Oecumenicis, ibidem enumeratis, damnatam profitentur. Jus Canonicum hæreticum dicit esse illum, qui alicujus temporalis commodi, & maximè gloriæ, Principatusque sui gratiâ falsas aut novas opiniones vel gignit vel sequitur. *C. Hæreticus 28. C. 24. qu. 3. Lancellot. in Inst. Juris Canon. l. 4. tit. 4. §. 1.* Nobis cum *Zieglero in notis ad all. §. 1.* hæreticus est, qui in fide ejusque fundamento errat, & ab Ecclesia Orthodoxa pertinaciter dissentit. Atque circa ho- 7. rum inquisitionem, confutationem & coërcitionem occupata debet esse Principis Curiositas. Inquisitionem non pa- 8. rum promovere posset, domestica illa Auditorum visitatio,

si eadem Verbi Ministris injungeretur, & majori cum diligentia exerceretur. Sanè hoc si fieret, non crederem ego, multos simpliciorum, in tam crassa Fidei ignorantia, utpote quæ errorum & hæreseum certissima mater est, etiam cum æternæ salutis dispendio victuros. Inquirit quippe Visitator ejusmodi Domesticus non in vitam solùm & mores Auditoris, sed præcipuè in ipsius fidem, ejusque fundamentum. Hoc si vel erroneum vel minùs bene jactum deprehendat, eidem succurrit, errores demit, & quid tandem illud sit, cui fidem suam superstruere possit ac debeat, ostendit. vid. *Illustris Dominus de Schwerin de delicto servi corrupti, part. 2. cap. 5. §. 2.*

10 An autem ad domesticam hanc visitationem Pastores jam tum in conscientia, & ratione Ministerii obligati sint? in eo non omnes æquè consentiunt. *Dn. Mengering in Informatorio Conscientiæ Evangel. Dom. III. Tr. p. 2. qu. 1.* operosus admodum est in demonstranda negativa, & refellendis iis, quæ pro contraria sententia aliàs militant argumentis; Verùm an æquè feliciter ac ex voto res successerit, judicent alii. Hoc certum est, & ab ipso *Dn. Meng. in Scrut. Consc. c. 29. c. 13.* prolixè satis, satisque solidè deducitur, Pastores officio suo nequaquam satisfecisse, si semel vel bis singulis septimanis ad Auditores suos pro concione locuti sint, sed in conscientia eos obstrictos esse, ad uniuscujusvis animam quærendam, & in viam veritatis, à qua quis est, qui sibi relictus non facili negotio deflectat sæpius? reducendam. *Quot enim animas Prælati procurat, ad tot rationes ante Tribunal Christi se obligat,* verba sunt Gregorii adducta à *Dn. Meng. 12 cit. loco. Conf. Dunse in Casibus Consc. cap. 9. qu. 24.* Certum quoque est, visitationem domesticam inter ea, quæ ad investigandam Auditorum vitam fidemque conducunt, mediæ expeditissimum esse, quippe quod ipse quoque *Dn. Meng. all. h.*

*all. l. fatetur.* Quomodo ergò dici poterit, hanc ab Eccle-  
 siæ Ministro absque conscientiae læsione omitti posse? Is pro-  
 fectò, qui finem vult, & ratione officii velle debet, media ad  
 finem illum consequendum necessaria salvà conscientiam ne-  
 gligere vix poterit. Magis itaq; quod tamen salvà tanti, & 13  
 de Ecclesia mihi Patria tam præclarè meriti Viri autoritate  
 dictum velim, veritati consona videtur contradicentium &  
 quæstionem nostram affirmantium sententia, quam tuen-  
 tur *Dn. Paul. Tarnov. de Ministr. Eccl. l. 2. cap. 22. pag. 795.*  
*B. Dn. Brunnem. in Jure Eccles. l. 1. c. 6. memb. 2. & Dominus*  
*Præses in addit. ad d. l. quæ quoque ipsi Dn. Mengerio non*  
 videtur displicuisse *in Scrut. Conf. d. l. ubi iterum atque ite-*  
 rum inculcat, ad Ecclesiæ Ministrum pertinere, ut curas suas  
 in uniuscujusvis Auditoris, quisquis etiam ille sit, salutem  
 invigilare sinat. Neque enim licitus est in domestica isthac 14  
 visitatione personæ respectus, omnes eidem subjacent, qui  
 Auditorum insunt coetui, sive divites illi sint, sive pauperes,  
 sive senes sive juvenes, sive Domini sive servi. Imò ipsi  
 quoque Magistratus ab eadem nequaquam sunt exempti.  
 Cùm enim & illi homines sint, humanum illud errare illis  
 quoque tam in vita, quàm in fide contingi poterit facillimè.  
 Hoc itaque si animadvertat Sacerdos, eandem, quam circa  
 alios exercet, visitationem, & hic instituere absque intempe-  
 stivæ Curiositatis vitio, & reverentiæ Magistratui debitæ læ-  
 sione, poterit, imò ex officio tenebitur. vid. *Dunte all. l.*  
*qu. 21. Reink. in Polit. Bibl. l. 1. ax. 35. p. 70.* mōdò non sub ejus- 15  
 dem prætextu alieno muneri se immiscere, Magistratibus  
 in officio imperare, judicia dirigere, imò ipsis Principum,  
 Consiliis interesse, intendat. *Martin Schookus de bonis Ec-*  
*clesiasticis. Sect. 4. c. 11. p. 666.* Hæc enim prohibitæ Curiosi-  
 tatis non postrema species, quemadmodum in nemine ho-  
 minum approbanda; *Meng. in Scrut. Conf. c. 8. qu. 112.* Ita  
 præci-



præcipuè Ecclesiæ Ministro neutiquam convenit. Conf. *Dun-*  
*se all. l.*

16 Sed quò major hujus visitationis & utilitas est & neces-  
sitas, eò minor ejusdem nostris temporibus usus. *B. Dn. Brun-*  
*quando in Comment. ad l. 1. ff. de LL. ejusdem mentionem*  
*injicit, O quàm rari, exclamat, in Civitatibus præsertim, sunt*  
*animarum Pastores, qui Oves suas norint, & earum sciant con-*  
17 *versationem.* Utile itaque & Ecclesiæ proficuum foret, si  
huic communi Sacerdotum negligentiaè obviam iretur, &  
vel per Ecclesiæ quoddam Decretum, vel per Principis Man-  
datum iis, qui se in conscientia & ex officio ad hanc inquisi-  
tionem obligatos esse nolunt, eadem præciperetur, quod  
itidem statuit sæpius allegatus *Dn. Menger. in Scrut. Consc.*  
*c. 19. q. 13.* Hòc enim tandem pactò Princeps officio suo be-  
ne fungetur, & quinam, quos inquirere debet, hæretici sint,  
experietur.

18 Non autem inquisivisse tantùm sufficet, sed eò quoque  
anniti debet Principis circa Religionem propagandam Cu-  
riositas, ut convertantur comperti hæretici, & in gremium  
Ecclesiæ reducantur. Ut autem hoc eò procedat feliciter,  
argumentorum, quæ errori suo fundamenti loco subster-  
nunt, confutatione, ( quæ non rarò in publicis Conventibus  
& Conciliis, quorum convocatio Principi quoq; convenit, *Dn.*  
*Ziegl. ad Lancell. l. 1. t. 3. §. 2.* optimè expedita est ) & meliori in  
19 orthodoxa religione informatione opus erit. Hæresis quip-  
pe in intellectu consistit, illa itaque ut tollatur, hujus præ-  
mittenda est eruditio. Hæc enim si non præcesserit, nulla  
vis, nulla lex, nulla coactio eò me adigere poterit, ut, quod  
20 nolim, credam, vel quod velim, non credam. Impia itaque  
& omni Religioni adversa est illa nonnullorum Principum  
practica, quæ subditis in Religione à se dissentientibus suam  
Religionem obtrudunt, & si eandem profiteri nolint, eos  
exqui-

exquisitissimis subjiunt suppliciiis. Sanè peccant illi enormiter, dum in ipsas quodammodo conscientias Imperium, quod tamen, secundùm illius Poloniæ Regis STEPHANI BATHORI effatum, cuius mentionem facit *Dunce in Casibus Consc. cap. 16. Sect. 2. qu. 13. n. 5.* DEUS sibi soli reservavit, exercere fatagunt. *Vid. Dn. Ziegl. ad Lanc. l. 4. t. 4. §. 2. Conf. Gisbertus Voëtius in Diss. de Gemilismo & Vocatione gentium p. 2. qu. 13. quæ habetur in Dissp. Theol. p. 2.* Hoc tamen Princeps prohibere potest, ne quis sententias vel conceptus suos in Vulgus proferat, & Ecclesiæ scandalum præbeat, additâ etiam pœnâ, si quid adversum commiserit. *Ziegl. ad Grot. l. 2. c. 20. §. 47.* Sic quoque & hoc prohibere potest, ne seditiosè aut turbulenter vel oppugnetur veritas vel defendatur. *Ziegl. ad all. l. 1.* Imò potest quoque Princeps, absque tyrannide in conscientias, subditos ad Conciones auferendas cogere. *Voëtius all. l. qu. 16. Excellentissimus D. Becmannus in Polit. Parall. Dissert. 17. 16. 12.* vel si necessitas Reip. ita flagitet, iisdem imponere, ut aut veram religionem discant ac suscipiant, aut siquidem per conscientiam nequeant, aliò commigrent. *Voët. d. l. qu. 15.* Sunt enim hi actus omnes voluntatis quoddam opus, & ab arbitrio humano dependent, adeoque imperio subjacent. *Dn. Ziegl. ad Lanc. all. l. & ad Grot. all. loco §. 50.*

Quid verò, si tandem omnia hæc media legitimè adhibita nihil proficiant, sed hæreseos reus in errore suo malitiosè & pertinaciter perseveret, Principi faciendum erit? Poteritne quandam in eum pœnam decernere? Quod affirmandum duco cum *Carpzovio & aliis ab eo allegatis in Prax. Crim. p. 1. qu. 44. n. 19.* Conf. *Brochmand. in Systemate Univ. Theol. tom. 2. art. 42. cap. 2. qu. 3. Dub. 3.* Neque poterit modò Princeps coercere hæreticos, sed ad hoc quoque, si officio suo bene fungi, & sartam tectamque Religionem conservare velit, tenebitur. Est enim officium Magistratûs,

C

lupos

- lupos ab ovili arcere, omnia illa, quæ pietati adverfantur, impedire, & Ecclesiam decenter nutrire. *Brochmand. all. l.*
- 25 Atque ea de causâ etiam in *Autb. Si verò Dominus C. de Hæret. Manich. & Samarit.* satis acerba pœna decreta est Domino; territorium suum ab Hæreticis purgare negligenti: *Terram scil. inquit Imperator in d. Autb. ipsius exponimus Catholicis occupandam, qui eam exterminatis hæreticis absque ulla contra-*
- 26 *dictione possideant, & in Fidei puritate conservent.* Modi repurganti ab aliis adhibentur alii, de quibus, si historiarum monumenta consulimus, obstupescimus sæpius, quanta crudelitas in inquirendis & puniendis illis, qui in Religione dissentiebant, quosque pro hæreticis habebant, à nonnullis fuerit adhibita. Nulla ibi præmittebatur in Religione, ad quam dissentientes cogere volebant, instructio; Aut acceptanda erat Inquisitorum ~~Elites~~, aut capitis jacturâ expianda constantia. Quòd verò quàm inhumanum fuerit, quàmque ab omni Religione alienum, unicuivis satis liquet, præsertim cum expeditum sit, nullum hæreticum ut hæreticum, id est, quatenus in Articulis Fidei errat, & errorem suum pertinaciter defendit, quandoque etiam hæreses spargit & alios se-
- 28 ducit, capitali supplicio afficiendum esse, modò non seditio-nem intentet, aut blasphemè Summi Numinis Majestati insultet. Hæc enim si concurrant delicta, quò ea tandem, non verò ob hæresin capite plecti poterit. *vid. Carpz. in Pr. Crim. all. l. n. 41. Conf. Ziegl. ad Lancell. l. 4. tit. 4. §. 2. & Brochmand. all. l. c. 1. sect. 3. & c. 2. qu. 3. Dub. 2.* Quæ verò alias hæreticis jure Canon. dictentur pœnæ, eas congestas vide à *Lancell. l. 4. tit. 4.* ubi simul in *not. Dn. Ziegl. ad d. tit.* videri poterit ejus de quavis pœna judicium, quorsum ego B. L. brevitatis studio remitto.
- 29 Præsupposito itaque hoc, Principem ratione muneris, quò fungitur, obligatum esse ad coërcendos & eliminandos hæreti-

hæreticos, novus sese prodit scrupulus, qui Principis conscientiam inquietam reddere possit; scilicet quaritur, an Princeps Christianus sine conscientia læsione possit plurimum ac dissidentium Religionum libertatem subditis suis permittere? Ab hujus quæstionis solutione quamvis abstergere me possent verba *Cl. Forstneri*, quæ habet in *not. ad Tac. l. 2. Ann. c. 85.* ubi dicit: *Locus hic invitabat tractare illam tantopere de Religionum libertate exagitatam quæstionem. Sed profectò horreo me immittere tam vasto gurgiti.* Attamen cùm in magna solum quoque voluisse laude sua defraudandum non sit, breviter censeo, quæstionem illam, si in thesi & abstractivè consideretur, omnino negandam esse, tum quia hæc Religionum libertas à DEO severissimè passim prohibita est, tum quia hoc modo fenestram quasi vel januam Princeps aperiret lupis, in ovile grassandi. Cùm enim unusquisque in illam, quam fovet, Religionem eo feratur affectu, ut eam amplificatam & latius propagatam lubentissimè cernere velit, non cessabunt illi, quibus ita cohabitare permisum est, alter alterum persuadere, & in suam adducere Religionem. Quia verò non adeo unusquisque Religionis suæ fundamenta novit, ut adversariorum persuasiones declinare, & argumentis satisfacere possit, sæpius accidere potest, ut unus alterque, qui veram Fidem jam tum agnoverat, seducatur, & æternæ salutis periculum incurrat, quod factum non fuisset, nisi Princeps Religionum in territorio suo permisisset libertatem. Melius ergò Princeps suæ consulat conscientia, si veram Religionem unicè in territorio suo exerceri jubeat, ne aliàs de animabus hoc modo pereuntibus, coram tremendo DEI Judicio rationem reddere opus habeat. Sed hæc in thesi. Quod enim in hypothesisi quandoque hæc atque illa Religio in hoc illoque territorio simul admitti possit, juxta mecum nostrates largiuntur Theologi.

*les obveniunt casus, inquit Brochmand. all. loco. c. 2. qu. 3. Dub 4: qui impediunt Christianum Magistratum, quò minus possit aut debeat urgere feruidius in Regno suo Religionis Unitatem. Nam si Regni Constitutiones, in quas iuravit, obligant Magistratum ad tolerandam Religionem miscellam; est, quod promissis stet. Sic etiam si plures sint numero heterodoxi, quàm ut eorum separatio ab orthodoxis sperari possit sine sanguinis effusione, aut periculosissimis turbis, aut orthodoxorum excidio, praestat tolerare heterodoxos, quàm quicquam tentare, cum Ecclesia vera, Regni ac subditorum extremo periculo.*

Ne justò prolixior sim progrediendum mihi est ad alia.

33 Vidimus hactenus Curiositatem Principi circa Sacra propriam: restat itaque, ut illam quoque, quæ eidem cum privatis communis esse potest, paucis exponamus. Quemadmodum autem, quod in cap. priori monuimus, omnis Curiositas vel ex objecti qualitate, vel ex inquirentis mente æstimanda est; Ira si idem quoque in præsentī materia attendamus, facili negotio deprehendemus, quænam in Theologia probanda sit Curiositas, & quæ improbanda; de hoc primo loco paucis agemus, nam sic deinde manifestius apparebit, in quibus absque vitio Curiosi esse queamus.

34 Est itaque primò perversa in Theologia Curiositas, si quis investigare velit res in Scriptura Sacra vel non revelatas, vel scitu, factu aut creditu ad salutem non necessarias. vid. Amesius de Consc. & ejus jure l. 3. c. 2. §. 3. n. 1. & 3. Nam cum ex sacra pagina certi sumus, DEUM nihil nos celasse, sed omne consilium suum nobis annunciasse, quod scilicet scire nos salutis nostræ interest, nonne cum temeritate quadam conjunctum studium erit, si ultra & plus sapere affectemus, quàm sapere nos Ter Optimus Terque Maximus Magister voluit? Sanè relinquenda sunt illa DEO, quæ suæ scientiæ reservavit. Captivanda est in iis, quæ nos latere voluit Sum-

ma

mum Numen, ratio sub obedientiam Fidei; Admiranda ea  
 sunt, & religioso silentio veneranda, non rimanda. Ast,  
 quam pauci sunt, qui capiunt verbum hoc! Quam contra 35  
 ingens & ferè infinitus est eorum cœtus, qui certò sibi cer-  
 tius persuasum habent, DEUM nihil ad credendum homi-  
 ni proposuisse, quod non rationi & Curiositati humanæ sit  
 pervium, vel se non posse tempus suum meliùs impendere,  
 quàm si in resolvendis inutilibus, & ad salutem nostram ni-  
 hil conferentibus quæstionibus laborent. Percurramus, ni 36  
 grave sit L.B. aliquos Fidei Articulos, & videbimus, quot qua-  
 lesque circa eisdem cumulentur quæstiones nullius usus.  
 In Articulo statim Creationis curiosè à quibusdam inquiri-  
 tur, Quid DEUS ante Mundi Creationem fecerit? Vel cum  
 DEUS potuerit longè citiùs Mundum producere, eum tam  
 ferò creaverit? Deinde ex qua materia Protoplastorum ve-  
 stes confectæ? Quærant itidem, an Adamus in primævo sta-  
 tu fuerit tonsus? An rationem comparandi ignem sciverit?  
 de quibus & aliis vid. *Caroli de Maëis Sylva quæst. c. 13. all. à*  
*Dr. M. Recbenberg. in Diss. de Malefana in Theol. Curiositate*  
 §. 7. Sic in Articulo quoque Redemptionis multæ ventilan- 37  
 tur ejusdem farinæ quæstiones. Disputari enim solet, utrum  
 Incarnatio differri debuisset usque ad finem Mundi? Utrum  
 conveniat Divinæ Naturæ assumere naturam creatam? Pla-  
 gas quoque, quas in flagellatione acceperit Dominus Gloriæ,  
 & guttas Sanguinis, quas in toto Redemptionis opere effudit,  
 numeravit nonnullorum Curiositas, de quibus vid. *Cl. Dr.*  
*M. Drechsler in discussione quæstionis: an una gutta Sanguinis*  
*Christi potuerit satisfacere pro toto Mundo, sect. 1. §. 20. & 21.*  
 ubi subjicit: *Nos nil moramur numerum guttarum, dum scimus,*  
*nullum litus, nullum terminum, rubro illi pretiosissimi Sanguini*  
*Oceano esse statutum, qui alveo suo exundans, in immensum*  
*se se diffudit, nullâ prorsus guttulâ relictâ.*

38 Sed nec in hisce quæstionibus acquiescit humana Curiositas; Etiam ab iis rebus, quæ tamen omnium hominum rationem, si sibi relicta sit, longè transcendunt, se continere nequit. *Seneca in libello de Tranquillitate animæ: Nihil tam sacrum esse, asserit, quod non aliquando inveniat sacrilegum.* Quid oberit, quò minus idem ad Curiositatem applicare possimus? Nihil profectò in Theologia tam abstrusum, tamque arduum datur, in quo inquirendo, & ad rationem suam examinando, non Curiosus quidam occupatus sit scrutator. Alii omnium, quæ in Sacra Scriptura annotata reperimus, miraculorum naturalem rationem reddere conantur, & sic non à DEO, qui tamen solus est miraculorum Autor, sed à natura ea profecta esse, imò ne miracula quidem dari, statuunt. 39 Alii à DEO miracula exposcere, & hoc modo Ipsum impiè tentare non verentur, cum tamen eos latere non debeat, DEUM pro voto humanæ Curiositatis & pruriginis miracula prodigè non fundere. *Danbar. in Theol. Consc. Tom. 2. Dial. 4. p. 125.* Alii denique ipsa involant mysteria, & in iis cognoscendis se macerant, quorum Curiositatem, ut mortiferam taxat *Lessius de J. & J. l. 4. c. 4. Dub. 11. n. 84.* Verùm fatiùs ipsis esset, luxuriantem rationem cohibere, quàm intempestiva sua Curiositate cœlestia cum terrenis confundere, sicuti illud consilium *Atbanassi*, quod dedit *Tom. 2. p. 331.* Is, cum unius DEI Sanctissimam Trinitatem religiosa admiratione perpendisset, tandem, *Inenarrabile*, inquit, & *inexplicabile est SS. Trinitatis Mysterium. Ne dixeris, quæ de causa, quia superat omnem causam; Nec dixeris, quo modo, quia superat omnem modum; Divinus hic modus est; Nec dixeris, quæ ratione, quia superat hæc Divina ratio rationem omnem. Sed crede in Patrem, nihil scrutatus rem; sed adora Filium, nec curiosè inquiras in ejus generationem; Hymnis celebra Spiritum Sanctum, nec exquire Sanctæ Trinitatis Mysterium, vid. Danbar. d. 1. p. 43.*

Non autem illi solum malefanz in Theologia Curiosi- 40  
 tatis notam merentur, qui in res ejusmodi non necessarias  
 operam suam ponunt. Sed hi quoque, qui rebus quidem  
 utilibus & necessarijs intenti sunt, non tamen Gloriam DEI,  
 & suam salutem promovendi, sed vel sensibus solummodo  
 externis satisfaciendi, vel famam sectandi, seque ostentandi  
 animo. Nam, cum Theologia primario & unice ad DEI  
 Gloriam quarendam, & vel suam, vel alterius salutem pro-  
 movendam ordinata sit, peccant haud dubie illi, qui in ea-  
 dem absq; hujus finis intentione aliquid suscipiunt. Quam- 41  
 vis enim circa res occupentur & utiles & necessarias, adeo-  
 que actio illorum ex objecto vitiosa non sit, vitiosa tamen  
 est ex fine, utpote ex quo de Curiositatis moralitate, quod  
 saepius dictum, iudicandum est. Atque hæc æquè ac  
 illa, de qua supra diximus, ab uno quoque sanguine viperi-  
 no cautiùs vitanda est. Nam licet taceam, prohibitam eam 42  
 esse, inutilem esse, temerariam esse, perpendat modò quis,  
 quanta quàmque innumera ex eadem in Curiosos nunquam  
 non redundaverint incommoda. Utsi, dum Sacerdotum  
 officium administrare, & incensum DEO adolere auderet,  
 in poenam Curiositatis leprà signabatur. 2. Paralip. 26. §. 16.  
 & seqq. Simon Magus dona Apostolorum pecunià compa-  
 rare, seque per eadem ostentare desiderabat; Sed Curiosi-  
 tatem suam excommunicatione luere cogeatur. Act. 8. §. 20.  
 Et quid multa? Ipsa illa, ad quam, proh dolor! redacti su-  
 mus, miseranda conditio, nonne primæ matris Curiositati  
 suam debet originem? Hanc si ea cohibuisset, & freno Di-  
 vini jussus subjecisset, viveremus procul dubio adhuc in pri-  
 mæva, quam amissam jam dolemus, integritate. Sed amif- 43  
 sa illa est, hinc ut miseriz nostræ causam detestemur, & huic,  
 in qua vivimus, imbecillitati consilia remediaque quaera-  
 mus, opus erit. Suppeditat aliquod Keller in Tr. de Officiis  
 Juri-



*Juridico-Politicis l. 1. c. 12. p. 102. ubi filios suos ita alloquitur: Vos moneo & hortor, ne sitis nimium Curiosi. Curiositas enim saepe nos impedit in lectione scripturarum, cum volumus intelligere & discutere, ubi simpliciter esset transeundum. Itaque si vultis profectum haurire, legite humiliter, fideliter & simpliciter.*

- 44 Simplicitate itaque opus est, si in Theologia quicquam audere velimus, non verò stultâ illâ & cœcâ, quæ fidem implicitam, quam carbonariam vulgò dicunt, peperit, sed oculatâ atque prudenti. vid. *Danbauer. in Theol. Conf. Tom. 1. p. 1. Sect. 2. Art. 1. §. 25.* utpote quam ipse quoque meritissimus Salvator commendatam nobis voluit, dum columbina simplicitate & serpentinâ prudentiâ instructos nos esse debere, dixit. Scilicet conjunxit Optimus Magister Simpliciter prudentiæ, ut nos à perversa Curiositate abstraheret; Prudentiam verò simplicitati, ut ad sanam in Scriptura Sacra Curiositatem nos exhortaretur, ad quam paucis quoque non proponendam, sed attingendam nunc me converto.
- 45 Et quamvis nullus dubitem, unumquemvis, qui ea, quæ de insana Curiositate supra diximus, paulò accuratius perpenderit, facillè cognoscere posse, quando in Theologia Curiosus esse possit & debeat; Attamen ut res fiat eò clarior, eadem methodo, quâ insanam proposuimus, sanam quoque exhibebimus Curiositatem. Quemadmodum illam itaque primò ex objecti qualitate æstimabamus, ita hæc quoque ex eadem judicanda erit. Versabatur illa circa res inutiles & ad salutem minùs necessarias; Hæc itaque circa res tantummodo utiles & ad salutem necessarias occupata esse debet. Necessaria autem ad salutem, quænam sint, vid. apud jam citatum *Dn. Dannhaw. all. l. §. 20. Conf. D. Calovius in System. Theol. Tom. 1. c. 5. p. 767.* aliq; allegati à *Domino Praside in addit. ad B. Dn. Brunnem: Jus Eccl. l. 1. c. 6. membr. 1. §. 30.* Atque in his cognoscendis si quis tempus suum consumat, sanctè Curio-

Curiosus est, adeo ut non peccet, etiam si summam hic adhibeat diligentiam. Nam intumescat licet amnis aquarum accessione, dum suo continetur alveo nulli est injurius, verba sunt. *D. Danubav. cit. l. p. 2. Dial. 2. §. 7.* Sic laboret licet quis in iis, quæ ad ipsum pertinent apprehendendis impense, & equis velisque contendat omnibus, nunquam tamen nimis curiositatis insimulari poterit, modo intra terminos se contineat, & ad allotria inutiliaque non delabatur.

Deinde; Quemadmodum Curiositatis malitiam cognosci posse dicebamus ex subjecti intentione, ita ejusdem bonitas exinde quoque cognoscenda erit. Inquirat perverse Curiosus ea solummodo intentione, ut gloriolam quandam captet, sibi que laudem conciliet. At ille, qui sobrie Curiositate sua uti vult, longè diversum & hunc quidem intendere debet finem, scilicet ut non suam, sed Dei gloriam quaeratur, conscientiam suam ab illis, quæ sæpè oboriuntur, dubiis liberet, & æternæ suæ salutis consulat. Neque hic, quod in perverse Curioso supra notavimus, omnia ex ratione sua decideret, sed normam illam, secundum quam de omnibus in Theologia occurrentibus controversiis judicandum est, sacram scilicet paginam exacte observabit, eamque in omnibus suis sequi debebit actionibus. Absit tamen, nos omnem plane in Theologia rationis usum damnare. Quod enim illa nonnunquam adhiberi possit & debeat satis deduxit *Jacobus Martini* in *Vernunft Spiegel*. Quando verò & in quibus fidei partibus eidem locus relictus sit, hic enumerare partim instituti mei ratio non admittit, partim verò, ne ipse quoque in alienam, quod dicitur, messem falcem immittam, lubens superledeo, remittens *L. B.* & hæc sciendi cupidum ad ante *all. Disp. Dn. M. Rechenberg. de Malefana & Sana in Theologia Curiositate & Auctores ibi citat.*

Gum autem Curiositas quædam itidem concurrat, si

D

quis

quis Hæreticorum vel Judæorum sacris ea videndi gratia interfit, adhuc, antequam præfenti capiti valedicam, discutendum erit, an absque conscientiæ læsione isthoc fieri possit? Et quamvis alias omnes, ni fallor, & Theologi & Moraliū Doctores in eo conveniant, tutius esse ab ejusmodi sacris abstinere, tum ob expressam Apostoli prohibitionem. 2. ad Corintb. 6. v. 14. tum ob concurrens animæ periculum, cum facile oboriri possint scrupuli, & de religione sua dubitationes illis, qui prohibitis hisce sacris interesse non verentur.

- 51 Communiter tamen duos excipiunt casus, quibus absque conscientiæ vulnere in celebratione ejusmodi sacrorum comparere posse orthodoxum statuunt, inter quos primus ille est, de quo præfens formata fuit quæstio, scilicet si quis videndi saltem causa veniat, ut de profanitate infidelium & hæreticorum melius certiusque testari queat. Atque hoc pacto excusandi erunt peregrinantes, qui Judæorum Synagogas aliaque hæreticorum sacra ideò frequentant, ut ipsi oculis suis percipiant, quod narrantibus vix credidissent;
- 52 Modo tamen hoc casus (1.) heterodoxorum gestus non imitentur, cumq; ipsis vel in genua simul procumbant, vel alio modo colludant, sed potius dissensum suum signis quibusdam aperte testentur; Nec (2.) ejusmodi cultum vel risu, vel alio quodam contemptus signo excipiant, quod admittere videtur *Busenbaum in Medulla Theol. Moral. l. 2. Tr. 1. c. 3. §. 12.* ubi dicit, infidelium sacra spectare licere tanquam comœdiam. Commiseratione enim potius, quam irrisione digna est ejusmodi hominum cæcitas.

- 53 Secundus casus est, si quis politici officii causa eadem ingrediatur ex. gr. Si quis Dominum infidelem vel hæresi quadam laborantem in templum comitetur, non ut erroris ejus participem se reddat, sed ut officium suum Domino tantum præstet; Sic 2. Reg. 5. v. 18. Naaman Syrus ab Elisæo Prophie-

Propheta facillè impetravit, ut Regem suum ad Templum Rimmonis ducere comitarive sibi liceret; Sic Electores 54 Protestantès hodie ex Missa, in electione novi Imperatoris vel Regis Romani celebrari solita, amplius non secedunt, quemadmodum de Electione Ferdinandi IV. & LEOPOLDI moderni Imperatoris invictissimi testatur *Sprenger in Instit. Juris Publ. l. 1. c. 29. p. 177.* quamvis olim eidem interesse dubitaverint. Vid. *Carpz. de Lege Regia Germanor. c. 11. Sect. 7. n. 8. 9. & 10.* ubi aliquot secessionis exempla refert. Conf. *Generosus Dn. de Jena, de Electione Imperat. Diss. 4. tb. 7. lit. b. & de integra quæstione Balduin. in Casib. Conf. l. 2. cap. 6. cas. 6. Joseph. Hall. im Gewissens Rath Decad. 3. qv. 3.*

## CAPUT III.

DE

## Curiositate circa Publica.

## SUMMARIÆ.

<b>P</b> rovincia à malis purganda.	Magistratus Curiosus esse debet	
	num. 1.	in mores civium. 9.
Homines ad vitia prona.	2.	Inquisitio quotuplex, 10. 11. 12.
Magistratus debent esse Curiosi	Privatus an inquirere teneatur?	13. 14. 15.
in mores illorum, qui introitum petunt.	3.	An vicinus facta vicini? 16.
Peregrini non semper optimi.	4.	Vicinus presumitur scire ea, que in vicinia geruntur. 17.
Justiniani hac de re constitutio.	5.	Limitatur hoc. 18.
Peregrinorum indistincta admissio Germaniam perdidit.	6.	An quis denunciare teneatur delictum alterius? 19.
In advenarum mores inquirendum.	7. 8.	Negatur. 20.
		Limitatur. 21.

D 2

Magi-

<i>Magistratus non inquirens peccat.</i>	22. 23. 24.	<i>delicta inquirere debeat?</i>	34.
<i>Curiosorum officium quale fuerit?</i>	25.	<i>Moralista Pontificii affirmant.</i>	
<i>Unde Curagendarii &amp; Stationarii dicti sint?</i>	26.	<i>Negatur.</i>	35. 36.
<i>Curiosi illi adhuc utiles, &amp; nulla adversus illos injuriarum actio conceditur.</i>	27.	<i>Curiositas in bello necessaria</i>	37. 38. 39. 40.
<i>Nisi eorum calumnia manifesta sit.</i>	28.	<i>Exploratores in bello utiles.</i>	41. 42. 43.
<i>Judices non debent inquirere vindicta cupiditate.</i>	29.	<i>Quibus hoc munus demandandum?</i>	44.
<i>Qua mente inquirere debeant?</i>	30.	<i>Exploratores comprehensi quomodo tractandi?</i>	45.
<i>Generalissima inquisitio semper insisti potest.</i>	31.	<i>Legum positivarum obligatio à promulgatione pendet.</i>	46.
<i>Generalis vero &amp; specialis non sine indicio.</i>	32. 33.	<i>Lex ante promulgationem an scientem obliget?</i>	47.
<i>Confessionarius an in confitentis</i>		<i>Post promulgationem lex omnes obligat ad scientiam &amp; obedientiam.</i>	48. 49. 50.
		<i>Rusticos an &amp; quando ignorantia juris excuset.</i>	51.
			52. 53.

1. **C**ongruit bono & gravi Praesidi curare, ut pacata atque quieta Provincia sit, quam regit, quod non difficile obtinebit, si sollicitè agat, ut malis hominibus Provincia careat, eosq; conquirat; verba sunt: l. Congruit 13. ff. de
2. *Off. Praesidis* Nam cum in eo malè humanis ingeniis Natura consuluerit, ut in vitium flecti cerea sint, & facillè ad quævis delicta se allici patiantur, adeo, ut verè dixerit Tacitus lib. 4. *Histor. c. 74. Utia fore donec homines; eò laborare debebunt illi, quibus demandata est publicæ salutis cura, ut omnis delinquendi occasio Civibus præscindatur, malitiæ irritamenta tollantur, & nullum delictum, quantum possibile, relinquatur*

quatur occultum, quod sanè optimè effectui dari posset, si illa, quæ Magistratibus ex officio incumbit, Curiositas legitimè frequentaretur, si in Civitatem non omnes indistinctè peregrini admitterentur, sed in eos, qui introitum petunt, sollicita institueretur inquisitio, unde sint, cujus conditionis, & quid negotii ipsis in Civitate expediendum? vid. *Dn. Praeses in Diss. de Saccular. & Directoris. c. 3. n. 40.* Sunt enim plerumque peregrini homines ex omni flagitiorum genere compositi, & Patriæ suæ inutiles, atque adeo ab eadem excrementorum instar ejecti. Imperator Justinianus, artis Rempubl. bene gubernandi callentissimus, cum securitati Urbis Constantinopolitanæ consulere vellet, in *Nov. 80. c. 1.* certos quosdam Inquisitores, qui *Ereunada* ibidem dicuntur, constituit, quorum officium erat, inquirere in adventantes, eorumque negotia. Verba *all. Nov.* hæc sunt: *Volumus autem singulum habentes hoc, respicientes ad DEUM, nostrumq. timorem & legem, requirere ad magnam hanc Civitatem venientes, ex quacunq. Provincia sint, Viros sive Mulieres aut Clericos seu Monachos vel Monachas, sive externarum Civitatum advocatos, aut alterius cujuscunq. fortuna vel dignitatis existant, & perscrutari, qui sint, aut unde venerint, aut qua occasione &c.* Sanè idem si nostris quoque observatum fuisset temporibus, nunquam ad eam, quæ hodie, proh dolor! laborat, corruptionem redacta fuisset dulcissima nostra & communis Patria. Verùm cum in exterorum admissione non modò nulla unquam facta fuerit distinctio, sed quisque potius in imitandis eorum moribus anxius fuerit, non potuerunt non eorundem flagitia nobis reddi adeo familiaria, ut consuetudine jam pro nihilo habeantur. Scilicet in imitanda exterorum vitia omnes nostras vires effundimus, eorum verò artes politicas addiscere nunquam studemus, quæ querela est *Clar. Forstneri in not. ad Tacit. l. 4. Annal. p. 612.* Huic itaque ma-

- lo ut paretur remedium, utile foret, si pristina illa, & ab Imperatore *alk. loco.* præcepta, Curiositas hodie iterum exerceretur, in advenarum conditionem diligentius inquireretur, illique, qui in Civitatem se assumi petunt, examinarentur de origine, vita, moribus & sustentandi mediis. vid. *Mev. ad Jus Lub. lib. 1. tit. 2. in rubr. n. 27. & art. 2. n. 63.* quæ & pro-
8. cul dubio intentio fuit Serenissimi Electoris Brandenburgici in *Edicto de anno 1665. §. 16.* quod subjunctum reperitur in *Corpore Juris Militaris Eberhardi Hoyers. p. 230.* ex quo sequentia verba huc retulisse non pigebit: *So sollen die Commendanten und Magistraten jedes Orths / oder dem sonst eine Post anvertrauet ist / mit höchstem Fleiß dahin sehen / daß in den Thoren keine verdächtige Persohnen eingelassen / noch / wann sie nicht bekandt sind / ohne gnugsame Rundschaften passiret / sondern / wann diejenige Officierer oder Bürger / so die Wache gehabt / das geringste darinn versehen / deßhalb zur Straffe gezogen werde.* Nam sic à peregrinorum corruptione immunis tandem erit Respublica.
9. Cùm autem non quilibet eà in virtutis stadio sit constantià, ut vitii se aliquando delassari non patiat, nondum omnes officii partes expleverunt publicæ salutis Curatores, si ab initio in ejus, qui in Civitatem se recipi petiit, mores inquisiverint, sed aliquanto plùs exigit illorum Curiositas; Inquirendum scilicet quoque est, quid rerum & post receptionem agant Cives, an delicta quædam perpetrentur, & hoc si fiat, quinam eorum sint Autores. Est autem illa In-
10. quisitio secundùm Criminalium Doctorum distinctionem: triplex: Generalissima alia, alia generalis, alia denique specialis. Generalissima illa dicitur, quando in genere quæritur, an Leges ferventur. Atque hanc pium Judicem ex officio instituere debere, ut cognoscat, quomodo vivant subjecti, an non varia vitia grassentur inter eos, docet *Magnif. Dn. Brun-*

*Brunnem. in Processu Inquisitor. c. 2. n. 2.* Generalis est, quæ 11.  
ideo fit, ut sciatur, an delictum, de quo fama est, verè com-  
missum, & quis probabiliter vel præsumtivè sit ejusdem Au-  
tor; ex. gr. si quærat, an occisus quidam repertus sit, quis-  
ve illum occiderit. Specialis denique Inquisitio est, quæ ad 12.  
versus certam personam ob delictum, de quo, quod com-  
missum sit, constat, instituitur. vid. *idem B. Dn. Brunnem. cit. l.*  
*n. 3.* ubi quoque in *n. seqq.* veram inter posteriores duas spe-  
cies reperire licet differentiam.

Atque hanc, quæ in mores actionesve Civium inqui- 13.  
rendos impenditur, Curiositatem & laudabilem & necessa-  
riam esse, nemo forsan negabit. Nunc, cui eadem, & ini-  
tio quidem, an Privato incumbat, breviter dispiciendum  
erit. Et quamvis aliàs Reipubl. intersit, delicta non mane- 14.  
re occulta & impunita *l. 51. ff. ad l. Aquil.* Hoc autem Reipubl.  
interesse admodum promoveri posse videatur, si cuilibet Pri-  
vato criminum Inquisitio injungeretur, cum oculi nunquam  
non plus videant, quam oculus; Negandam tamen hanc quæ- 15.  
stionem, & Curiositatem illam privatis neutiquam permit-  
tendam, nedum injungendam esse arbitror, tum ne inutile  
illud novitatis studium, ad quod utinam multi mortalium  
adeo jam tum proni non essent! promoveatur; tum ne plu-  
ribus delictis, calumniis quippe, falsisque delationibus, aliis-  
ve fenestra aperiat. Atque hoc adeo verum esse autumo, 16.  
ut ne vicinum quidem ad isthanc Inquisitionem & observa-  
tionem factorum vicini obstrictum putem. Licet enim vi- 17.  
cinus scire præsumatur ea, quæ in vicinia geruntur *per cap.*  
*quosdam 7. & cap. quanto 8. X. de presunt.* unde & multum  
testimonium vicini facere asserit post *Dornsparg: in Syn. Jur.*  
*lib. 1. c. 4. n. 11. Dn. Ziegl. ad Lancellott. l. 2. tit. 13. §. 26.* At-  
tamen hæc præsumtio eidem necessitatem non imponit in- 18.  
quirendi, cum eos solummodo actus scire præsumatur vici-  
nus,



nus, de quibus fama publica est in loco vicino. *Tuscb. in Concl. Pract. lit. V. Concl. 301.* vel qui successivi sunt, non qui momentanei & momento expediuntur; quemadmodum & circa illos actus non est fundata præsumtio, qui in occulto communiter admittuntur ex. gr. stuprum, adulterium, aliaque hujus generis delicta. *Mascard. de Probat. Vol. 2. concl. 880. n. 15.*

19 Quid verò, si Privatus tamen scientiam alicujus criminis consecutus sit, tenebiturne illud denunciando, alterumque accusando Magistratus Curiositatem adjuvare? Et hoc negandum puto cum *Carpz. in Pr. Crim. P. 3. Qu. 104. n. 50. Zaf. ad ff. tit. de Accus. n. 17. Fagund. ad Decalog. l. 8. c. 49. n. 5.* in jure enim nostro expressè cautum, ne quis invitus agere vel accusare teneatur. *l. un. C. ut nemo invitus. L. fin. C. de Usur. pupill.* Excusandus ergò potius erit, qui miseratione ductus, & spe melioris frugis accusationem intermisit, quàm  
21 ad eam arctandus. Restrictam tamen volo isthanc responsionem ad hos solummodo casus, si delictum jam sit perpetratum, & aliqua melioris frugis spes supersit: Hæc enim, si non adsit, & delinquens nullum delinquendi finem faciat; vel delictum in perniciem Reip. aut alterius tertii grave damnum vergat. *Valerius in Different. utriusq. fori, sub. voc. Denunciatio Diff. 3.* Vel si adhuc sit committendum, *idem sub voc. Inquisitio. n. 7.* in conscientia obstrictus erit quilibet privatus, qui notitiam delicti habet, ad hoc denunciandum. Nam *qui non obsistit, si potest, injuria adhuc inferende, tam est in vitio, quàm si Parentes, aut amicos, aut Patriam deserat:* verba sunt *Cicer. lib. 1. Offic. repetita in c. 7. caus. 23. qu. 3. Conf. B. Dn. Brunnem. in quest. ad Wesenb. Tit. de Receptor. qu. 5.*

22 Privatus itaque in Conscientia neque ad inquirendum, neque ad denunciandum alterius delictum regulariter est obstrictus, (posterius tamen, si velit, facere poterit, cum  
accu-

accusatio nihil in se habeat, quod conscientiae adversetur. *Dn. Pras. in Disp. de Foro Conscientiae cap. 6. n. 161.*) quod secus se habet in iudice aliisve, qui merum mixtumve Imperium habent, Magistratibus; In iis enim inquisitio tanta est necessitatis, ut ipsi crimine non levi se obstringant, si eandem intermittant. *Magnif. Dn. Ziegl. ad Lancell. l. 4. r. 1. §. 3.* Litern <sup>23</sup> quippe suam faciunt, & tenentur de Syndicatu. *Paris de Puteo de Syndicatu in verb. negligentia cap. 1. n. 8. §.* Conf. *B. Dn. Brunnem. in Proc. Inquis. cap. 1. n. 11. ubi n. 12.* notat, solere hodie contra iudices inferiores, crimina publica, de quibus fama publica est, investigare negligentes, à Fiscis Procuratoribus de non administrata iustitia formari processum, eosque, quod adjicit *Dn. Pras. in annot. ibid.* privatione jurisdictionis ob ejus abusum puniri, secundum *Const. Crim. Art. 1.* Imò licet tandem in hac vita poenam negligentiae suae non <sup>24</sup> tuant meritam, coram summo tamen Christi tribunali, nisi serio poeniteant, eandem vix evitabunt. Nam si quis in inquirendo crimine piger aut negligens esse praeferit, dictis criminibus apud DEUM se noverit esse participem, cujus Zelo ad perscrutandas subtiliter nefandi sceleris causas non movetur, verba sunt *can. sicut inquit 46. caus. 2. qv. 7.* digna sane, quae omnibus Magistratuum cordibus imprimantur.

Cum autem Iudices aliive Magistratus sapientis tam va- <sup>25</sup> riis districti sint negotiis, ut omnibus sufficienter praesse nequeant, prudentiam sapit illud Romanorum institutum, quo certas elegerunt personas, qui ab injuncta ipsis Curiositate Curiosi dicebantur, prout diximus *supra in cap. 1.* Horum officium duplex erat: Primum ut cursum publicum regerent, illumque curarent, atque ratione hujus eundem fuisse olim Curiosum, quem nos Magistrum Postarum, den Postmeister appellamus, asserit *Ludovicus von Hörnigk de Jure Postar. c. 6. theor. 1. lit. b.* Alterum erat, ut ea quae con-

tra quietem publicam commissa erant curiose pervestigarent, quod phrasi, curas gerere vel agere, communiter in  
 16 jure exprimitur *vid. l. 4. C. Theod. de Curiosis. Conf. ad illam Jacob. Gotbofredus* unde & Curagendarii appellantur in  
*l. 1. C. Theod. d. t.* Stationarii verò dicuntur, quia certis &  
 designatis stationibus vel locis positi erant ad reos nuncian-  
 27 dos. *Vid. Id. Gotbofr. ad all. l. 1.* Atque tales Curiosos vel  
 Stationarios adhuc hodie Reipubl. utiles, neque adversus  
 illos ullam vel ad interesse vel injuriarum actionem denun-  
 ciato concedendam esse, statuit *Mev. p. 1. D. 41.* Nam si  
 publico officiali ex eo periculum esset, quod Judici denuncia-  
 ciaret ea, quæ percipit verisimilia, facile præcludi posset via  
 generali de criminosis inquisitioni, quam adeò necessariam  
 esse supra deduximus. Modo tamen non sub officii obtentu  
 manifesta eorum malitia sit & calumnia *l. 1. C. de Curiosis*  
*Conf. B. Dn. Brunnem. ad b. t.* & denunciatio fiat ex privata  
 28 quadam vindictæ cupiditate. Licet enim, quod supra diximus,  
 denunciatio in se considerata, in conscientia voienti licita sit;  
 Attamen, si privatus ejusmodi affectus accedat, & illa non ex  
 publicæ utilitatis studio, sed privato proficiscatur odio, redditur  
 illa ratione denunciantis in conscientia adeo illicita, ut delicti non  
 exigui participem se faciat hoc modo denuncians. *Culpandus est,*  
*scribit Anton. Matth. de Crim. l. 48. ff. Tit. 13. c. 1. n. 12., ille, qui privata vindictæ studio*  
*ardens, id unice propositum habet, ut adversarium vitâ, bonis*  
*fortunisq; omnibus evertat; Non culpandus, qui hominem nocentem*  
*Reipubl. studio aut ipsius emendandi gratia ad tribunal trahit.*  
*Conf. Dn. Præs. in Disp. de Foro Consc. c. 6. n. 161.*

29 Eòdem modò res quoque se habet in Magistratibus. Quamvis enim  
 delinquentium inquisitio & coërcitio ipsis adeo incumbat, ut eam,  
 si intemeratam retinere velint conscientiam, intermittere haud possint,  
 prohibita tamen Curiosi-

riositatis & gravissimi criminis incurrunt culpam, si vindictæ cupiditate & severitatis affectatione, non verò criminis odio ad eam accedant. *Magnif. Dn. Brunnem. in Process. Inquisit. cap. 3. n. 37. Imo si humanum sitiunt sanguinem, ita ut in condemnationem gloriantur, efficiuntur homicida, quamvis culpabilem condemnent*, verba sunt *Boss. in tract. Crim. tit. de favore defenf. n. 1.* Debent itaque Judices, quando in delinquentes inquirendum & ab iis sumendum est supplicium, eo inquirere animo, ut mallent non inquirere, & ita punire, ut mallent non punire. Dolere debent, quoties feroces esse coguntur; & contristari, quoties triste aliquod statuendum est exemplum, exemplo Vespasiani, qui nullius cæde unquam lætatur justis etiam illachrimavit ingemuitque suppliciiis, quod de eo refert *Suetonius c. 15. vid. Dn. Ziegler de Officio Judic. consil. 46. §. 5.*

Sed licebitne Judici vel Magistratui Curiositatem hanc exercere, & Inquisitionem instituere, quandocunque voluerit? Ad solidam hujus quæstionis decisionem repetenda erit illa, quam supra attulimus, Inquisitionis divisio, quâ alia dicebatur Generalissima, alia Generalis, alia denique Specialis. De illa Generalissima scilicet, quâ Judex proprio motu, metuens, ne zizania seminet Satan, subinde in vitam more sive Civium inquirat, si formetur quæstio, illam affirmandam esse constat ex his, quæ de Inquisitionis necessitate supra attulimus fundamentis. Sin autem de reliquis speciebus intelligatur, eam negamus cum communi Criminalium Dd. Schola. Requiritur enim ad illas instituendas certa quædam indicia, quæ necessariò præcedere debent, ita ut ea, si non adsint, Inquisitionem ipso jure nullam esse, asserat post *Farinacium lib. 1. qu. 1. n. 40. B. Dn. Brunnem. all. loco. c. 4. n. 2.* & Judex absque illis ad Inquisitionem, specialem præsertim, procedens, teneatur inquisito actione injuriarum, cum fa-

- ma per Inquisitionem apud honestos viros minuatur. *Carpz. in Prax. Crimin. qu. 108. v. 62.* Quæ verò indicia ad Inquisitionem hanc sufficient, ut & in quibusnam delictis locum eadem habeat, quisve modus procedendi observandus sit, jam, cum Disputationi destinatae paginae tam prolixas materias vix capiant, exponere supersedeo. Videri poterit de illis *Magnif. Dn. Brunnem. in opere Processus Inquisitorii absolutissimo*, quorsum B. L. remitto.
- 34 Antequam tamen isthanc materiam planè derelinquam, illa adhuc attingenda est quæstio, quid de Sacerdotum Confessariorum Curiositate, qua in confitentis delicta eorumque circumstantias adedè exactè inquirunt, statuendum sit? Moralista Pontificii eandem in Confessario adeo requirunt, ut ipsam peccare asserant, si illam negligat, vid. *Busenbaum in Medulla Theol. Moral. lib. 6. Tr. 4. art. 1.* Atque eam ob causam concedunt Sacerdotibus suis licentiam interrogandi confitentes, an hoc illudve peccatum commiserint, & si aliquod confiteantur, singulas examinandi circumstantias, vid. *Laymann. in Theol. Morali lib. 5. tract. 6. c. 13. qu.*
- 35 Afferunt enim peccata, quæ in specie & sigillatim sacerdoti non enumerantur, non remitti, imò ne illorum quidem, quæ enumerata sunt, remissionem accipi, nisi integra sit, secundum omnes circumstantias confessio. Hæc verò si adsit, meritoriam illam esse ad culpæ remissionem, pœnæ diminutionem, Paradisi aperitionem, & salutis fiduciam. Vid. *Interpp. in Lombardum lib. 4. Dist. 17. all. à Magnif. Dn. Zieglero in not. ad Lancell. l. 2. tit. 5. §. 8.* Verùm quemadmodum in nostris Ecclesiis auricularis illa confessio, quæ specialiter de omnibus & singulis etiam minimis peccatis, & secundum omnes circumstantias nullo habito pudore fieri debet, tanquam scripturæ contraria & conscientiarum carnificina, quod solidè satis demonstrat *Dn. Ziegler. d.l. §. 5.*

*ad verba: est canonica*, amplius non urgetur; Ita multo minus admittendæ erunt interrogationes illæ Pontificiorum Confessariis usitatæ, quippe quæ illum solummodo in finem inventæ sunt, ut impiam suam Curiositatem expleant, & secretissimorum quorumque consiliorum investigationem penetrent sacerdotes. Satis enim est, si quis in genere serid fateatur, se contra legem DEI multifariam peccasse. Vid. *Baldwin. in cas. Consc. lib. 4. cap. 10. cas. 3.* Quod si tamen quis conscientia stimulis adactus speciale quoddam delictum aperiat Confessario, non licebit huic de singulis confitentem interrogare circumstantiis, sed contentus esse debet, etiamsi generaliter tantummodo, se hoc vel illud delictum commisisse confiteatur. Sic & si Rumor sit, aliquem auditorum in hoc illo peccato vivere, ex. gr. eum scortatione se polluere, non poterit Confessarius eum interrogare, cum quibus hactenus rem habuerit, quave occasione ad illos venerit, sed sufficet, si eum de hoc rumore certiore faciat, & ad vitæ emendationem exhortetur. Adstipulatur hac in re *Ordin. Eccles. Saxon. art. 7. §.* Wie aber die Leute zur Papißischen Erzählung der Sünden nicht gezwungen werden sollen / also sollen auch die Kirchen-Diener nicht vorwitziger Weise von ihren Beicht-Kindern / wie etwas geschehen / fragen / oder was ihnen nicht gebeichtet worden / denn diese Beichte nicht zu einer Inquisition der heimlichen und verborgenen Sünden verordnet / quam allegat. *Generosus Dn. de Jena in Dissert. 5. de Ratione Status concl. 5. lit. b.* ubi alia quoque de Sacerdotum Curiositate plura monita videre poterit L. B.

Atque hac de Curiositate circa aliorum delicta dixisse sufficiant; jam de ea, quæ in belli Ducibus laudatur, pauca ut disseram, opus erit. Est autem illa unicuique bellum dirigenti adeo necessaria, ut ea non adhibita vix votis respondens

dens eventus expectari possit. Manifestum quippe est, quantas sæpius incommoditates in bello pepererit Ducis negligentia & Securitas. *Nemo unquam celerius oppressus est, quam qui nihil timuit, & frequentissimum calamitatis initium securitas est.* *Benj. Priol. in Histor. de reb. Gallic. l. 5. c. 1.* ut adeo satis prudenter monuerit *Curtius lib. 6. c. 3. Nihil tutum in hoste despicit. Quemadmodum parvâ scintillâ contemta magnum sapius excitavit incendium; Ita hostem, quem sperderis, negligentia facies va-*

42 *lentiorem.* *Conf. Loccenius in not. ad d. l.* Adstruunt hoc ipsum omnes ubi vis historiæ; Adstruxit & ante annum, & quod excurrit ipsa hæc, de quo adhuc latatur, Marchia. Vivebant scilicet Sueci, qui tum temporis eam invasam tenebant, securi, & quid Serenissimus Elector Brandenburgicus rerum ageret, parùm curabant. Nondum ipsis in mentem venerat, Eum reducem carpturum viam, & ecce! aderat jam tum iteram suæ Marchiæ, & defensores in Suecorum cervices stringebat gladium, adoriebatur eos, vincebat eos, & septem circiter dierum spatio territorii sui ejiciebat finibus, quod sanè, si ipsi cum hoste magis curioso res fuisset, non adeo sine periculo fieri potuisset. Tantùm scilicet in bello nocet

43 *de hostium consiliis neglecta Curiositas!* Melius ergò suo, cui præest Exercitui, consulat Dux, si non temerè iis, qui vires hostium per cõtemptum diminuunt, credat, sed omnia potius metuat, plena difficultatis & periculi sibi fingat, & omnes adversariorum conatus curiosis intueatur oculis. *Obrecht Dispositio prior. de bell. tb. 479. Conf. Joachim. Burgers Observat. Milit ar. Cent. 2. Obs. 6. p. 305.* Minus enim nocent pravisa tela, & facili negotio avertuntur, imò in ipsorum sæpe hostium exitium retorquentur. Laudat eam ob causam Tiberium *Tacitus l. 2. Annal. c. 20.* dum eidem nihil ex inimicorum consiliis incognitum fuisse, illumque omnes hostium astus in perniciem ipsis vertisse, scribit. *Conf. Forstner in not. ad all. l.*

Uti-

Utiliter autem ad hanc scientiam Duci acquirendam adhi-  
 bentur Exploratores, quos sæpius in hostium castra mittere  
 solent bellum dirigentes. Scrutantur enim illi omnem ad-  
 versæ partis intentionem; inquirunt in ejus consilia, no-  
 tant apparatus, qualibus Ducibus, qualibusve militibus in-  
 structæ sint hostium copiæ. Atque cum tam ardua, tamque 45  
 difficilis sit Exploratorum expeditio, notandum esse docet  
*Johann à Chokier in not. ad Osiandri Strategicum cap. 10.* ne il-  
 la militibus demandetur gregariis, & uni ex multitudine,  
 sed Viros mittendos esse graves & prudentes, idque specie,  
 si ferat, legationis. *Illi enim, inquit, seravorum similes aliud ni-  
 bil, quòd sciant, possunt renunciare, quàm quæcunq; noverint  
 omnes. At Viri prudentes consilia etiam discunt.* Quomodo 46  
 verò ab Imperatore sive belli Duce tractandi sint ejusmodi  
 Speculatores, si comprehendantur, & an tunc, si Exercitus  
 sui vires hostium copiis longè inferiores arbitretur, occiden-  
 di, tunc verò, si Exercitum ducat bene instructum, & hostili  
 superiorem, dimittendi sint, (quod suadetur *in Osiandri  
 Strategico all. loc.*) ego decidere non audeo, sed aliis potiùs  
 in bellis magis versatis decidendum relinquo, manumq; de  
 tabula detrahens eam quæstioni nostræ, quam colimus, pru-  
 dentia magis propriæ adjicio.

Expeditum scilicet est, omnem legum positivarum, 47  
 obligationem pendere à promulgatione; Est enim promul-  
 gatio de ratione legis humanæ, sive tanquam aliquid ad ejus  
 essentiam requisitum, sive ut conditio necessaria, ut lex ha-  
 beat virtutem obligandi. vid. *Andr. à Matre DEL in cursu Theol.  
 Moral. Tr. 11. de Legibus cap. 1. Puff. 6. n. 74. Dn. Ziegler ad  
 Lancellost. l. 1. tit. 3. §. 6. ad verba: nota facere, adeo ut antea  
 ne legis quidem nomen mereatur. Zafius ad ff. tit. de Legib.  
 n. 10. & nemo de ea cognoscenda teneatur esse sollicitus.*  
 Hinc dubitatur: An, si quis ita curiosus fuerit, legemque 48  
 con-



conceptam, & nondum quidem promulgatam, certò tamen promulgandam cognoverit, is per eam obligetur? ex. gr. quidam, cum in Principis palatio versaretur, cognovit, legem quãdam propediem promulgandam, quòd frumentum viliori pretio vendi debeat. Vendidit ille statim frumentum suum alicui, eò non certioratò de lege sancita, quaeritur ergò, an hic venditor contra novam illam legem deli-

49 querit, & ad interesse emtori teneatur? Communis Dd. opinio Negativam defendit, tum quia lex ante promulgationem nullam potest habere vim, tum quia hæc scientia conceptæ legis privata solummodo est, & nullum legi dat vigorem. vid. *Lessius de Just. & Jure. l. 2. c. 21. Dub. 5. A Matre DEI all. 1. & ab eo citati. Conf. Zaf. d. l. n. 11.* Verùm quemadmodum hanc responsionem in foro exteriori veram esse facile

50 concedo; Ita ea, si de interno conscientia foro quaestio sit, quadantenus mihi suspecta, illeque, qui hoc modo frumentum suum vendidit, non ubivis tutus videtur; atque sic magis arridet sequens à Principis Legislatoris voluntate petita responsio; Scilicet videndum est, an ille statim post scientiam, an verò ex certo termino legem obligare voluerit. Priori casu utique obligatus est Curiosus ille ad legi obediendum, nec expectare debet promulgationem, cum hæc eum solummodo in finem adhibeatur, ut subditi legis noviter condita consequantur scientiam, quam ipse Curiositate sua jam tum acquisivit. Posteriori verò, eum ante istum terminum neutiquam obligatum esse, & frumentum suum, vendere posse, largior, ne deterioris sit conditionis hic, quàm reliqui Concives; modò tamen ipse emtorem ad emendum persuasionibus suis, quippe quæ per se, cum ad alterius damnum tendant, delictum quoddam involvunt, non induxerit, sed ab eo, ut aliquid frumenti sibi venderet, rogatus sit.

¶

In legibus promulgatis magis necessaria est Curiositas.  
Certum

Certum quippe est, legem, postquam publica promulgatione sancita est, quemvis subditorum ad scientiam obligare & obedientiam. *B. Dn. Brunnem. in quæst. ad Wesenbec. tit. de Legibus qu. 15.* adeo ut juris ignorantia non excuset, nisi vel de damno rei suæ amittendæ certet ignorans, vel alia quædam causa, ut minorennitas *l. 9. pr. ff. de Jur. & facti vel militia l. 1. C. eod.* concurrat. De Rusticis quæritur, an illis Juris ignorantia prosit vel noceat? Et distinguere solent 52  
 Dd. an copiam habuerint peritiores consulendi, nec ne. Illo casu ipsis ignorantia neutiquam prodest, cum propriâ negligentia eandem contraxerint. Illi verò, qui legis notitiam acceperunt, & illi, qui eandem accipere culpâ suâ neglexerunt, pariter obligantur. *Dn. Ziegl. ad Lancell. l. 1. tit. 3. §. 6. ad verba: Neg. ignorantes.* Hoc verò casu, cum imperitiæ eorum aliquid dandum sit, excusari quandoque solent, neque secundum strictum semper Jus, quippe quod sæpius summa injuria est, judicari; Nihil enim imputari potest illi, qui, cum scire vellet, non potuit. *arg. l. 17. §. 3. ff. de Usur.* 53  
 Notanter verò dixi *quandoque*: Dantur quippe casus, ubi, etiamsi peritiores consulendi copiam non habuerint rustici, nihilo minus obligantur. Sic enim, si ea quæ ad formalem actûs substantiam pertinent, vel solennitatem respiciunt, ex ignorantia non observaverint, neutiquam excusantur. ex. gr. si in testamento condendo debitas solennitates non adhibuerint. *vid. Mynsinger Cent. 6. Obs. 47. Conf. Renatus Choppinus de Privileg. Rusticor. l. 1. p. 2. c. 5.* ubi plures casus videri possunt.

## CAPUT IV.

### De Curiositate circa actus privatorum Licitos.

E

SUM-

## SUMMARI A.

<b>I</b> gnorantia facti duplex. n. 1.	pecuniam dedit. 22.
<b>F</b> acti alieni vel justa est, vel injusta. 2.	<b>A</b> n hoc in omni mutuo administratori dato verum? 23.
<b>U</b> nde illud judicandum? 3.	<b>P</b> robatio in rem civitatis verum esse mutuum qualis desideretur? 24.
<b>M</b> atrimonium est res magni momenti. 5.	<b>C</b> onsensus Senatus non presumitur. 25.
<b>S</b> ponsus Curiosus esse potest in sponsa divitias & dotem. 6.	<b>V</b> ersione non probata habet actionem adversus administratorem mutuo dans. 26.
<b>D</b> ote promissa & non illata a sponsalibus recedi potest. 7.	<b>I</b> n mutuo loci pii administratorem dato Curiositas necessaria. 27.
<b>A</b> n de Virginitate teneatur esse Curiosus? 8. 9. 10.	<b>U</b> t & in mutuo pupillo dato. 28.
<b>C</b> onditio ducam te, si virginem invenero, an utilis? 11.	<b>U</b> t & in mutuo servo dato. 29.
<b>F</b> emina oberato nubens an amittat privilegia dotis? 12.	<b>S</b> ufficit si semel versio facta. 30.
13. 14. 15.	<b>A</b> n in mutuo, Magistro navis dato, Curiositas requiratur & qualis? 31. 32.
<b>U</b> xor observare debet an in feudi utilitatem versa sit pecunia. 16.	<b>I</b> dem obtinet in Institore. 33.
<b>A</b> gnati tenentur constituere dotalium. 17.	<b>Q</b> ui ad refectionem mutuo dedit an teneatur Curiosus esse? 34. 35. 36.
<b>V</b> ersio an presumatur probata dotis illatione? 18.	<b>R</b> es aliena pignori dari non potest. 37.
<b>M</b> utuum dans non debet observare quo vertatur mutuum. 19. 20.	<b>Q</b> uid si pecunia mutuo data in domini utilitatem versa? 38.
<b>L.</b> Gabiniã quid cautum fuerit. 21.	<b>S</b> tipulatio duplex. 39.
<b>C</b> uriosus esse debet qui administratori civitatis mutuam	<b>I</b> n quid ille cui datur fidejussor Curiosus esse debeat? 40.

Fide-

<i>Fidejussor inidoneus semel admissus repudiari nequit.</i> 41.	<i>Solutio cui faciend.</i> 58. 59.
<i>Declaratur hoc.</i> 42. 43. 44.	<i>In delegatione Curiosus esse debet, ille cui delegatio fit, ad hoc ut cognoscat eruditionem delegati.</i> 60. 61.
<i>Fidejussor quid inquirere debet at?</i> 45. 46. 47.	<i>An inquirere debeat, quales exceptiones habeat delegatus?</i> 62.
<i>Emtor Curiosus esse debet in conditionem ejus cum quo contrahit.</i> 48. 49.	<i>Negatur.</i> 63.
<i>Curiosus quoq; esse debet in rei vendita vitia.</i> 50. 51. 52.	<i>Limitatur.</i> 64.
<i>Porco grandinoso vendito quid juris.</i> 53.	<i>Quando in contractu cum femina gesto curiositas necessaria.</i> 65. 66.
<i>Emtor non debet Curiosus esse quo vertatur pretium.</i> 54.	<i>A delegatione quomodo differat cessio nominis.</i> 67.
<i>Quid in venditione civitatis?</i> 55.	<i>Curiositas debitoris cessi quid operetur?</i>
<i>Curiositas in Societate.</i> 56. 57.	

**F**Acti ignorantia duplex est, proprii scilicet & alieni. Illa cum vix in alium, quam negligentissimum cadat, & quilibet eorum, quæ fecit, memor censeatur, *Gotb. fred. ad l. quanquam 7. ff. ad Senatus Conf. Vellej. Conf. L. filio 31. ff. de adimend. vel transferend. Legatis. L. magnam 12. C. de contrab. vel committ. stipul. raro excusat, nisi vel de damno vitando vel negotio quodam antiquo & similibus questio sit Magnif. Dn. Brunnem. in quest. ad Wesenb. tit. de jur. & fact. ignor. qv. 3. Dn. Struv. in Synt. Jur. Civil. Ex. 28. sb. 60.* Hanc pro ejusdem vel vincibilitate vel invincibilitate injustam aliam & improbabilem, aliam contra justam & probabilem jura nostra faciunt: Injusta dicitur, quando negligentia objici potest ignoranti, quam in inquirendo admisit *l. 9. §. 2. ff. de jur. & fact. ignor.* Justa verò ejus est

- est, cui nulla objici potest culpa, cur veritatem non investigarit. vid. *Justus Meier in Coll. Argentorat. d. tit. § 5.* Unde autem culpa illa dijudicanda, & qualis diligentia in investigando alieno facto ponenda sit, illud egregiè explicatur in *l. 6. ff. d. tit.* ubi dicitur: *Scientia hoc modo aestimanda est, ut neq; negligentia crassa aut nimia securitas satis expedita sit, neq; delatoria Curiositas exigatur.* Sic in *l. 9. §. 2. eod.* definitur, quando de facti alieni ignorantia quæstio occurrit, *scientiam neq; negligentissimi neq; curiosissimi hominis accipiendam esse.*
4. *sc.* Scilicet opponunt hæc leges crassæ negligentix delatoriam, id est, summam Curiositatem; Negligentissimo curiosissimum. Et quemadmodum uterque horum à mediocritate, ille scilicet deficiendo, hic verò excedendo recedit; Ita neutrius scientia approbari, & ex eadem ignorantix vincibilitas judicari potest. Illi enim, cum in diem vivat & nihil non negligat, nulla; Huic verò, cum cuncta rimetur & inquiret, omnis ignorantia videbitur vincibilis. Medium itaque quoddam inter isthæc extrema quærendum erit. Appellatur illud in diversis juris nostri textibus itidem curiositatis nomine. Atque hæc non, æque ut vaga illa, cujus in excessu peccatum jam notavimus, omnibus indistinctè aliorum factis intenta est, sed in certis solummodò quibusdam casibus, quos breviter hic notare animus est.
5. In Matrimonio itaque Curiosus esse debet contrahens in alterius, quocum colre intendit, qualitates. Cùm enim maximi momenti negotium sit Matrimonium, & non nisi ob urgentissimas rationes rescindatur, cautione opus erit, ne quis in illud primo statim impetu proruat, sed bene antea secum perpendat, quæ ipsi ex eodem vel commoda vel incommoda obvenire possint. Et quidem, quia sapius Matrimonium ad majora nitenti decus & robur esse potest, prout loquitur *Tacitus in vita Agricola cap. 6.* non adeo turpe est,

est, bene dotatam sibi uxorem querere. Quot enim sunt, quibus, etsi virtus, probitas & alia omnia superent, admodum resistit res angusta domi? Huic itaque impedimento, 6. cum per locuples Matrimonium remedium parari possit, Curiosus esse poterit Sponsus in Sponsæ divitias & dotem sibi constituendam. Nam si de his ante obligationem factam non fuerit sollicitus, sed vel uni statim, Sponsam divitem esse asserenti, crediderit, suumque consensum declaraverit, nulla ipsi ab his sponsalibus restabit liberatio. Error quippe fortunæ Matrimonium non vitiat, vid. *can. unic. c. 29. qu. 1.* etiamsi dolus illi causam dederit, ex. gr. si fœmina divitem se mentiendo, Juvenem ad nuptias contrahendas inducat. vid. *Covarruv. de Matrim. p. 2. cap. 3. §. 7. n. 4. Dn. Ziegler ad Lancellos. l. 2. t. 12. §. 3. ad verba: qualitatis vel fortuna. Franzk. 7. ad Inst. pr. tit. de Nuptiis n. 25.* Sin verò de iisdem cogitaverit, & sub conditione certæ cujusdam dotis constituendæ Matrimonium promiserit, deficiente isthac conditione à sponsalibus resiliere poterit, & Matrimonium consummare non tenebitur. *cap. 3. X. de condit. apposit. Carpz. in Jurisprud. Eccl. l. 2. Def. 22.* modò tamen caveat, ut opes, quas per conjugium acquirere potest, consequenter tantum spectet & secundariò, non verò unicè & primariò. Hoc enim si faciat, & in alium finem, quàm qui ei à DEO Optimo Maximo adpropriatus est, Matrimonium contrahat, abutetur eodem non sine conscientiæ læsione. vid. *Dn. Ziegler. de Officio Judicis concl. 3. n. 8.*

De Virginitate quæritur, an circa eandem inquirendam Curiosus esse debeat Sponsus, adeo ut si eam non inquisitâ Matrimonium consummaverit, & deinde eam illæsam non esse comperiat, à Matrimonio recedere nequeat? *Wesenbecius in paratit. ff. de ritu nuptiar. n. 8.* affirmativam. 9. satis prolixè tuetur: *Cum enim, scribit ille, quilibet, qui cum*

alio contrahit, sciat vel scire debeat conditionem ejus, quocumque contrahit per l. qui cum alio 29. ff. de Reg. Jur. idem in Matrimonio dicendum erit, sibiq; impicare debet, qui non diligentius ante sibi cavet atq; prospexit. Verùm erudire Lectorem Wesenbecius debuisset, quomodo in isthoc negotio diligenter sibi ante cavere & prospicere queat. Difficilis bujus rei est investigatio. verba sunt *Wissenbachij* ad all. l. 29. ff. de Reg. Juris. Hoc certum est, contrariam sententiam hodie in Consistoriis receptam esse, & ubique, modò ante tentata fuerit reconciliatio, pro Matrimonii ejus dissolutione pronunciari. Neque enim adeo levis ejusmodi error est, prout putat *Wesenbec. d. l.* aut nudæ qualitatis, sed circa aliquid versatur, quod ad ipsam conjugii, hypotheticè considerati, substantiam pertinet, aut faltem ad qualitatem intrinsecam, adeoque naturalem, & de Virgine semper tacitè subintellectam. vid. *Dn. Ziegler ad*

II. *Lancelot. all. l. §. 1.* Ex dictis patet, inutilem esse adjunctionem conditionis: *Ducam te, si Virginem invenero.* Aut enim ad copulæ carnalis periculum respexit adjiciens, aut ad inspectionem matronarum & obstetricum. Illo casu, tanquam turpis rejicienda erit conditio; Et, si propter istam conditionem Mulier Virum jam passa fuerit, Matrimonium pro consummato & valido habendum, sive Virgo Sponsa inventa fuerit, sive minùs. Sponsalia enim conditionalia post subsecutam copulam purificantur, & in Matrimonium transeunt, per *cap. 6. X. de Condit. appof.* quia sic ipso facto conditioni videtur renunciatum. *Carpzov. in Jurispr. Eccles. l. 2. D. 25.* Hoc verò casu planè superflua erit, cum tacitè jam tùm insit, & eà etiam non adjectà, si Sponsæ Virginitas repariatur delibata, Matrimonium dissolvi possit. Quæ verò tacitè insunt, si exprimentur, nihil operantur. vid. *l. 3. C. de Fidejussorib.* Conf. *Dn. Ziegler in Diss. inaug. de Conditionibus* tb. 79.

Ea,

Ea, quæ de Viris dicta sunt, eodem modo in Mulieri- 12.  
 bus quoque obtinent. Nam cum ab hoc momento, in quo  
 voluntatis suæ sensa exponit desponsanda, sæpius terrena  
 ipsius pendeat salus, nemo eidem vitio dabit, si ad exploran-  
 dos Sponsi mores, & cognoscendam ejus conditionem ali-  
 quid exactioris diligentiz adhibeat. Quid verò, si ita Cu-  
 riosa fuerit, & Maritum, qui ipsam ambit, obæratum & pro-  
 digum esse cognoverit, nihilominus in Matrimonium cum  
 ipso ineundum consenserit, nocebitne ipsi isthæc Curiositas,  
 ita ut prioritatem & privilegia dotis amittat? Dissenserunt in 13.  
 hujus quæstionis decisione Doctores, *Carpz. p. 1. C. 28. D. 84.*  
*Gail. 2. obs. 84.* cum aliis, quos allegatos videre licet apud *Job.*  
*Pbil. ad Dec. Noviss. 6 Obs. 3. n. 7.* statuentes, mulierem hoc modo  
 nubentem privilegiis suis uti non posse, viderur enim, mores  
 Mariti adprobando, iisdem tacitè renunciâsse. Verùm ist- 14  
 hanc sententiam ratione destitui, asserit *Magnif. Dn. Brun-*  
*nem. C. 1. D. 3. n. 5.* atque hinc contraria, tanquam æquior, in  
 Saxonia recepta est per *Decis. Noviss. 6.* tum quia hoc casu  
 mulier magis ad personam, quàm Bona & facultates Mariti  
 respexisse videtur; tum quia renunciatio tanquam odiosa  
 nunquam in Jure præsumitur, præsertim si alia possit capi  
 conjectura. *Conf. Philippi ad all. Decis. Obs. 3.* Modò tamen 15.  
 Uxor in dolo non versetur, nec Bona Maritum strenuè pro-  
 digere juvet; Hoc enim si à Creditoribus, quibuscum de  
 prioritate pugnat, probari possit, privilegio aliquo digna  
 neutiquam censetur. *vid. all. Decis. in fine.*

Si marito feudalia bona possidenti nubat fæmina, bene 16  
 sibi consulat, si à tali marito adhuc vivo dotalitium sibi con-  
 stitui curet. Quod si ab eo impetrare non possit, ipsaque  
 dotem suam realiter intulerit, curiosa esse debet, quomo-  
 do maritus dotem impenderit, & an in feudi utilitatem ean-  
 dem verterit. Hoc si observaverit & tam realem dotis illa- 17.  
 tionem



- tionem (quippe quam sola mariti quietantia uxori data in Agnatorum præjudicium non probat *Carpz. p. 2. Const. 44. D. 10. Mev. p. 3. D. 14.* nisi fœmina in supplementum juraverit. *Mev. p. 9. D. 59.*) quàm versionem in feudum probare possit, cogi poterunt Agnati ad constituendum viduæ dotalitium, etiamsi inter maritum & uxorem de eo nihil actum. *Carpz. p. 2. c. 44. D. 1. Mev. p. 8. D. 354. n. 2. Dn. Praeses in Tr. de Success. ab Intest. c. 5. art. 2. n. 8. & seqq. & in Exam. Jur. Feudal. 18. cap. 21. qv. 9. & 10.* Et quamvis sint aliqui, qui versionis probationem & consequenter mulieris Curiositatem necessariam non esse autument, sed versionem præsumi dicant, modò realis illatio ab uxore probata sit, ita ut contrarium afferentibus Agnatis probatio incumbat; Illorum sententia tamen, ob nimium Agnatorum gravamen, dubia videtur *Dn. Praesidi in d. Tract. all. l. n. 10.* licet eandem in Praxi receptam esse concedat in *Exam. Juris Feud. d. l. qu. 112 Conf. Mev. p. 2. D. 224. B. Dn. Brunnem. Cent. 4. D. 5. in fin.*
19. Quis verò in contrahentibus etiam Leges Curiositatem quandoque desiderant, *Dn. Struv. in Syn. Jur. Civ. Ex. 27. eb. 23.* progredior nunc ad contractus, & quidem illos, qui ad sui consummationem rei interventum requirunt, quorum primus est Contractus Mutui. In hoc, quamvis regulariter is, qui dat, quò ille, qui accipit, pecuniam consumpturus sit, quærere non debeat, prout loquitur *Cicero pro Rabirio Postumo*, & versionem in utilitatem accipientis probare non habeat opus. *B. Dn. Brunnem. in quest. ad Wesenb. tit. de Reb. Credit. qu. 20.* est enim hæc probatio oppidò difficilis, 20 adeo ut Imperator in §. 5. *Inst. quod cum eo. qui in aliena potest.* cum dicat stultissimum, qui se ad difficultatem perducit probandi, in rem Domini versum esse; Sunt tamen aliqui casus, in quibus, si salvum velit habere debitum, isthoc onus subire, & de versione in rem Curiosus esse debet Creditor. *Carpz. p. 2. C. 6. D. 19. n. 8.* quos breviter recensuisse non poenitebit,

Et initio quidem non prætereundum erit, olim per Legem Gabiniam Curiositatem quandam Creditori incubuisse. 21  
 Vetabat quippe illa jus dici de pecunia sub usuris sumpta per versuram, id est, ut ex ea pecunia solverentur usuræ alii debita. Atque hoc ex ea ratione, ne usuris obruerentur inopes, & usuras usurarum uni solutarum alteri solvere tenerentur, quod Jura non admittunt, vid. *l. ut nullo modo. 28. C. de Usuris*. Hinc nisi Creditor sortis periculum incurrere, & crediti jus amittere vellet, Curiosus esse debebat, an ad solvendas alteri usuras mutuuum peteret debitor. vid *Gotbofr. ad l. 19. ff. de novation. & delegat.* Verùm, cum hæc lex, quod dolendum, amplius vix observetur, eidem diutius non immoror.

Curiositatem porro exigunt Jura ab eo, qui Administratoribus Civitatum mutuam solvit pecuniam in *l. civitas 22*  
*27. ff. de Reb. Credit.* Cum enim Administrator Civitatem, obligare, & conditionem ejus deteriore facere nequeat, *Zaf. ad ff. tit. de Reb. Credit. n. 44.* ne occasionem juris ad iniquum trahat compendium, & ad quodvis mutuuum sigillo Civitatis abutatur. *Carpz. p. 2. C. 6. D. 18. n. 4. & 5.* aliter utique juvari Creditor, qui nihilominus ejusmodi Administratori credidit, haud poterit, quàm si versionis probationem susceperit & perfecerit. Hæc enim si probata, ipsa naturali æquitate suadente ad restitutionem obligatur Civitas, *arg. l. si & me & Titium 32. ff. de Reb. Cred.* cum jure naturæ æquum sit, neminem cum alterius injuria fieri locupletiore. *l. jure natura 206. ff. de Reg. Jur.* Quando verò & an in omni mu- 23  
 tuo administratoribus dato versio in rem Civitatis docenda sit, non adeo expeditum est. Arridet nobis valde distinctio *Mevii p. 3. D. 229.* Aut enim, distinguit ille, civitas iis omnem in se potestatem dedit, ita ut se totam repræsentent, aut tantum sui rectores atque bonorum suorum administratores fecit. Illi valent tantum, atque ipsa Civitas sive universitas

litas congregata posset. Et quemadmodum hæc validè contraheret; Ita ab iis etiã acta valent, & omnem civitatem obligant, modò nihil sit contrarium legibus aut fini civitatis, vel menti eorum, qui se ita subjecerunt. Circa hos videndum est, an agant vel contrahant officio suo convenientia & incumbentia, an extrã ejus limites. Illo casu civitas absque versionis probatione obligatur, quia dùm eos officiales habere voluit, voluit etiã, ut rata habeantur Magistratum acta, ex quorum virtute dependet omnium quies & incolumitas, salvo tamen civitati, si læsa sit, restitutionis beneficio. Hoc verò casu aut voluntate eorum, qui populum repræsantant, quales ex. gr. sunt Tribuni plebis, contrahunt, atque hoc modo itidem Civitas obligata est, neq; docenda in rem versio; aut sine illorum complacito; Et hic non obligant civitatem, nisi vel ejus adprobatio & ratihabitio accedat ex. gr. si ex contractu à solis ministratoribus celebrato usuras per multos annos solverit, vel an in utilitatem civitatis versum sit mutuum, Curiosus fuerit Creditor, idque probatum dederit.

- 24 Probatio autem pro contractûs diversitate diversa requiritur. Levior quippe sufficiet, si contractus in utilitatem civitatis principaliter initus; Gravior vero requiretur, si non ea fuit contrahentium intentio, ut civitati mutuaretur.
- 25 *Mev. p. 5. D. 386. Conf. Berlich. p. 3. Dec. 305.* Hoc certum est, contractum à Senatu consensu civium celebratum esse, in dubio non præsumi, quia solennitas extrinseca est, quæ non præsumitur. *Mev. p. 5. D. 385. B. Dn. Brunnem. in Comment. ff. ad all. l. Civitas. n. 16.* sed semper illud à Creditore probandum esse. Quod si probatum dare nequeat, adversus civitatem actionem frustrà instituet, & illà, quæ contra administratores eidem restat, contentus esse debet. *Mev. p. 5. D. 387. Philippi ad Decif. Noviss. 16. Obs. 4.* quo casu si Admini-

ministratores, qui mutuum sumpserunt, ignoret creditor, eorum nomina ex Protocollo à civitate edenda sunt. *Mew. p. 6. D. 6.*

Eandem, quam in mutuo à Civitatis Administratore 27  
 accepto requisivimus Curiositatem, in mutuo Ecclesiæ Antistiti dato desiderat Justinianus, quando in *Nov. 120. c. 6. t. 3.* sequentem promulgat constitutionem. *Si quis aut Episcopo aut Oeconomo, aut Ordinatore cujuslibet venerabilis Domus, sive in Regia Civitate sive in Provinciis constituta pecuniâ credidit, aut posthac crediderit, jubemus, neq. eis hoc reputari pro venerabili Domo, nisi primitus ostenderit, quod in utilitates predicta venerabilis Domus ista profecerunt, neq. ipsum Creditorem aut heredes ejus contra venerabilem Domum habere aliquam pro ipsis actionem, nisi monstraverint, quod in utilitatibus venerabilis Domus competentibus pecuniæ profecerunt: Sed contra mutuas accipientem pecunias aut heredes ejus, proprias moveant actiones.* *Conf. Autb. hoc jus porrectum. C. de SS. Ecclæs. Atque idem ad Academias extendunt Dd. Dn. Lauterb. in Disp. ad L. Civitas c. 3. §. 4. item Hospitalia & omnia pia loca. Molina de Iust. & Jur. Disp. 300. n. 1.* Pupilli quoque & Minores tunc 28  
 demum ex mutuo à Tutore vel Curatore contracto obligantur, si Creditor Curiosus fuerit, & pecuniam in illorum rem profectam esse, probare possit. *l. 3. C. quando ex fact. Tutor. cui tamen finito etiam officio Tutor assistere cogitur. Carpz. lib. 5. Respons. 78. B. D. Brun. ad all. l.*

Curiosus porro esse quoque debet Creditor, quò ver- 29  
 tatur pecunia servo soluta ad hoc, ut in rem Domini verteret *l. 3. §. 9. ff. de in rem verso.* Aliàs enim, si Dominus mutuuum in rem suam versum esse neget, nulla contra ipsum Creditori dabitur actio, etiamsi servus sic acceperit, quasi verteret; Imò, etiamsi aliàs quoque vertere solitus sit, ne scilicet credulitas Creditoris Domino oblit, vel calliditas

30 servi noceat *d. §. 9.* Illud hic, ut & in iis calibus, quos supra exposuimus, notandum; sufficere, si semel in utilitatem Civitatis, Ecclesiæ, Minorum & Domini versa sit pecunia mutua, licet tempore petitionis utilitas amplius non extet, sed casu fatali perierit. Casus enim nemini imputandus, sed illi nocet, cui accidit, atque sic ab obligatione semel acquisita; excusare illos, in quorum commodum semel versio fuit facta, haud poterit. *Dn. Brunnem. ad Wesenb. de in rem vers. qu. 6.* Videtur equidem huic assertioni obstare *l. 10. §. 6. d. 1.* ubi dicitur: *Versum sic accipimus, ut duret versum.* Verum videtur solummodo, nec revera obstat. Legem enim illam non de verso fatali casu perempto, sed de eo, quod à Domino restitutum est, loqui, indicant verba statim subsequencia, ubi dicitur, ita demum de in rem verso actionem competere, si non sit à Domino servo solutum. *Conf. Dn. Lauterb. ad d. rit. §. 3. in fin.*

31 An in mutuo Magistro navis dato Curiosus esse debeat Creditor, quæri solet? Ad hoc, ut responsionem ritè formemus, distinguimus: An pecunia mutua data sit in eam causam, cui tacitè & in consequentiam præpositus est Magister, an verò in causam expressè à præponente mandatam. Posteriori casu nulla à Creditore exigitur Curiositas, ob concurrentis mandatum Domini, modò tamen illud sibi ostendi curet, & in quam rem præpositus Magister sit, inquiret. Priori verò aliqua per *l. fin. ff. de exerc. act.* ubi dicitur, aliquam diligentiam vel Curiositatem, prout explicat *Gotthofred. in not. ad hac verba*: Creditorem debere præstare. Notanter autem dicitur *aliqua*: Tanta enim Curiositas, qualis supra in mutuo Civitatum, Ecclesiæ & similibus, hic necessaria non est, sed aliquantò remissior. Sufficit quippe ad actionem contra Dominum producendam, si de aliquibus Creditor fuerit sollicitus, quod per casum in *all. l. propositum commodis-*

modiffimè explicabitur. Scilicet Lucius quidam Titius Stichum Magistrum navis præposuit; Is pecuniam mutuatus dixit, se in refectioem navis eam accipere, navem verò non refecit, sed pecuniam in alios collocavit usus, an ergò Creditori Exercitoria contra Titium dabitur actio? Et respondetur, dari, modò sequentia curiosè observaverit: (1) An navis in ea causa sit, ut refici debeat. (2) Ut pecuniam expressè in refectioem credat. (3) Ut non majorem pecuniam det, quàm, quæ in refectioem est necessaria, & (4) Ut illud fiat in loco, ubi refectio fieri potest. Hæc si fuerint observata, licet Magister postea pecuniam non in utilitatem navis, sed suos usus convertat, Exercitor tamen efficaciter obligatur, utpote, qui sibi imputare debet, quòd in mores Magistri præpositi diligentius non inquisiverit. vid. *all. l. 1. Et ad eam Dn. Brunnem. in Comment. ff. Conf. Dn. Lauterb. ad illum tit. tb. 2. in fin. Dn. Struv. in Synt. Jur. Civ. Ex. 20. tb. 10.*

Eandem, quæ in Magistri contractu adhibenda, diligentiam in Institoris quoque requiri, apparet ex *d. l. fin. §. fin.* In eo autem, qui ad refectioem Domùs mutuò dedit, si hypothecam cum privilegio consequi velit, aliter res sese habet, & exactior desideratur curiositas. Hic enim, licet eo tempore, quò ædes refectioem opus habent, & in specie ad eam causam creditum dederit, adhuc tamen hypotheca & privilegio non gaudebit, nisi ipsam quoque refectioem factam esse docuerit. *Gail. l. 2. Obs. 12. n. 4.* Coniunctim quippe hæc ei veniunt probanda, se in ædium ruinofarum refectioem tantam, quanta requirebatur, pecuniam & non majorem dedisse, ædesque exinde revera refectas esse. Atq; his demum probatis, habebit illud, quod in *l. 1. ff. in quib. caus. pign. huic debito concessum est, privilegium.* Conf. *Dn. Brunnem. ad d. l. Berl. p. 1. concl. 65. n. 132. Et seqq.* Manifesta jam tum ex dictis erit illius, quam formare solent, quæstionis decisio;

cisio; An scilicet ille quoque hypothecam privilegiumque consequatur, qui ad refectionem quidem nominatim non est mutuatus, nihilominus tamen Curiosus fuit, & pecuniam in refectionem collocatam esse cognovit? Quod utique negatur; Desideratur enim hic necessarium quoddam ex iis, quæ supra attulimus, requisitis, vid. *Berl. d. l. n. 133.*

37 Cum ad materiam pignorum & hypothecarum sumus prolapsi, adhuc insignem quendam Curiositatis effectum notabimus. Scilicet indubitati juris est, rem alienam, quæ in Bonis Debitoris non est, pignori vel hypothecæ obligari non posse, & Creditori in tali re obligata, in respectu ad Dominum, nullum jus competere, per tot. *Tit. C. si alienares pign. data sit.*

38 Quid verò, si Curiosus fuerit Creditor, & pecuniam, in cujus securitatem datum est pignus, in commoda Domini consumptam esse, resciverit, habebitne aliquam ex hac Curiositate utilitatem, & jus in re obligatâ? Et resp. in *l. 1. C. d. t.* Si pecuniam Creditoris in rem Domini versam constabit, non inutilis erit exceptio, id est, prout interpretatur *Gotbofr. ad b. l. retentio*. Itaque, etiamsi hoc pignus constitutum non convalidetur, & Creditori hypothecario concedatur actio, habet tamen retentionem, si illud pignus rei alienæ in sua potestate habeat. Conf. *B. Dn. Brunnem. ad l. fin. d. tit.*

39 Explicatâ hoc modo illâ, quæ in realibus contractibus occurrere potest, curiositate, progredior ad stipulationem. Hæc à Dd. communiter in principalem dividitur & accessoriam. Principalis quia hodie minus frequentatur, ad accessoriam statim, quæ alias Fidejussio appellatur, me convertito, ibique noto curiosum esse debere illum, cui fidejussor datur circa mores bonaque ejus, qui datur: Quamvis enim alias odiosa sit patrimonii peregrini perquisitio, & nolint jura patrimoniorum secreta pandi, *l. 2. C. de alim. pupill. prest.* durumque ac inhumanum esse dicant, rerum familiarum

liarium & paupertatis detegi vilitatem, & invidiæ exponere divitias *l. 2. C. quando & quibus quarta pars debetur*. Exigitur tamen eadem ab illo, qui fidejussorem accipit; Nam cum hic crediti sui securitati consulere & repetitionem ejus facilitare velit, non utiq; communi statim de oblato fidejussore opinioni credere, illumque accipere debebit, sed inquirere potius, an idoneus sit ille, qui offertur. Amplius enim sæpè sperant homines de facultatibus tum suis tum aliorum, quàm in ipsis est. §. 3. *Inst. qui & à quib. manum.* Estimatur autem fidejussoris idoneitas tum ex conveniendi facilitate, tum ex facultatibus *l. 2. ff. qui satisd. cog.* Et quem admodum ille, qui hoc modo idoneus non est, antequam acceptus sit repudiari, aliusque fidejussor peti potest, cum paria sint planè non, & non idonee cavere *l. 6. ff. qui satisd. cog.* Ita si semel admissus sit, tanquam idoneus videtur comprobatus *arg. l. 10. d. 5. Mev. p. 6. D. 124. n. 8. & p. 4. D. 16.* neq; deinceps repudiari potest, cum sibi imputare debeat creditor, quod ab initio statim eidem non contradixerit. *vid. l. 3. ff. de Fidejussor. & B. Dn. Brunneo. in Comment. ff. ad l. l. Conf. Zæf. ad tit. ff. qui satisd. cog.*

Procedunt verò ea quæ diximus (1.) si inidoneus datus sit fidejussor; Secus vero si talis, qui fidejubere prohibetur, quales sunt mulieres, pupilli, aliique. Hos enim licet creditor in jure & facto errans acceptaverit, alius tamen errore comperto dandus est, quasi nunquam satisdatum esset. *l. 3. ff. de fidejussor. Conf. B. Dn. Brunnem. ad d. l. (2.)* In voluntaria satisdatione, sive ea, quæ ex contractu præstatur; neutriquam vero in necessaria, quæ à lege injungitur vel Magistratu. *Dn. Præfes in Coll. Axiom. ad ff. tit. qui satisd. cog. Ax. 4.* in hac enim, quia ea Prætoris vel legis mens est, ut securum velint reddere illum, qui satis accepit per *l. 1. ff. d. t. durare* debet illa satisdatio, alioquin enim alter securus non esset



44 esset *Mev. p. 4. D. 16.* Ex quo sequitur, hic de novo semper satisfaciendum esse, quoties fidejussori post dationem insignis quædam calamitas vel magna inopia accidit *l. 10. §. 1. d. 1.* vel quoties fidejussor ita in bonis versatur, ut futuræ paupertatis metus ex argumentis non dubiis, (quæ illa sint, vid. *Gail. l. 2. Obs. 83. n. 14. seqq.*) oriatur, quippe quo casu etiam ad cautionem de judicato solvendo agi posse, tradit *Mev. p. 3. D. 75. Conf. Dn. Brunnem. ad l. 10. ff. qui satisd. cogant.*

45 Curiosus deinde esse quoque debet ille qui fidejussor datur, & inquirere in conditionem bonave ejus pro quo datur. Est enim fidejussio res oppido periculosa, & ille, qui pro alio fidem suam interponit, seipsum periculo exponit solutionis, quod Germani quoque adagio suo, quo dicunt: *den Bürgen soll man würgen* / docere voluerunt. *Gail. l. 2. Obs. 29. n. 4.* Hoc autem periculum si evitare quadantenus velit fidejussor, distinctionem quandam facere necesse habebit inter illos, quibus interpositione fidei suæ succurrit.

46 Aut enim frugi homines sunt neque omnibus plane bonis exuti, aut vero prodigi inopesve. Pro illis fidejubens non adeo magnum incurrit periculum, cum ordinis beneficium habeat, & præterea, si debitorem mores mutasse & bona dilapidare videat, sicque damnum metuat, contra ipsum debitorem ad liberationem agere possit. *Gail. d. l. n. 8.* Pro his vero qui quicquam promittit, à solutione se liberare vix poterit, cum sibi imputare habeat, quod pro talibus fidejusserit, quos solvendo non esse vel sciebat, vel facili negotio rescire poterat *Gail. d. l. n. 9.* non enim succurrendum est ei, qui se necessitati ultrò exponit *l. 7. §. 1. ff. qui satisd. cog.*

47 Quid autem si debitor ante fidejussionem cæperit esse prodigus, postea verò in eo perseveraverit, ane ob continuatam illam prodigalitatem fidejussori ad liberationem dabitur actio? Affirmat hoc *Gail. d. l. n. 11.*, quia continuata illa  
 prodi-

prodigalitas justum futuri periculi & damni metum affert. Quod tamen dubium mihi videtur. Non enim novus est ille metus, sed jam tum ante fidejussionem penes magis cautum adesse & poterat & debebat. Facile enim divinabat Fidejussor, debitorem si hoc modo pergeret, omnia bona consumpturum. Ipsum autem hoc modo perrecturum itidem præsumere debebat, cum mutatio in melius in jure non præsumatur. vid. *Barbosa sub tit. Mutatio. Axiom. 1.* 48

In Emptione venditione itidem curiosi debent esse contrahentes, imprimis verò emtores, & primo quidem ad hoc, ut resciscant conditionem eorum quibuscum contrahunt. Sunt enim aliqui, à quibus, cum omnis potestas se obligandi ipsis ob consensus defectum adempta sit, nulla quoque valida contrahi potest rerum suarum venditio, quos vide in *l. ii. ff. de reb. cor. qui sub tut.* Cum his ergò si contrahere velit emtor, cautus esse debet in observandis illis, quæ à lege disiderantur, requisitis, de quibus vid. *Dn. Lauterb. in Disp. de alienatione rerum qua minorum sunt. tb. 28. § seqq.* Hæc 49 enim si neglecta sint & in emptione non observata, ipso jure nulla est alienatio, & emtor non tantum rem venditam restituere tenebitur, sed & ipsius pretii, si consumptum sit, periculum incurret, nisi curiosus fuerit & illud utiliter in rem vendentis versum, ipsumque exinde locupletiores factum esse observaverit; Hoc enim casu ob naturalem illam, quam supra docuimus, æquitatem, vel mercem retinere, vel ad minimum pretium repetere poterit.

Si de persona, quod alienandi potestatem habeat, emtori constet, nova adhibenda ipsi venit curiositas circa rem, quæ in contractum deducta est. Sapius enim res venditæ vitio quodam laborant, quod vel dominii translationem, vel earum usum impedit. Dominii translationem impedit vitium furti, quod rei furtivæ adeo inhæret, ut eadem,

H

usu-

ufucapi non possit §. 2. *Inst. de Usucap. & longi temp. praescr.*  
 sed Domino semper libera sit ejus rei ab emtore repetitio.  
 51 Neque hic pretii restitutionem desiderare poterit emtor,  
 cum suæ culpæ imputare debeat, quod cautius non fuerit  
 mercatus *l. incivilem 2. C. de furtis.* nisi vel à latronibus ea  
 mente comparaverit, ut eam domino redderet, *arg. l. 6. ff.*  
*de captivis.* Conf. *ad eam Gorbosfr.* vel pretio utilitatem do-  
 mini promotam esse probare possit. Vid. *l. 19. C. de procur.*  
 Conf. *Gorbosfr. ad all. l. 2. C. de furtis.*

52 Ob vitia, quæ rei usus obstant, datur alias ex ædilitio  
 edicto actio redhibitoria per *l. 5. ff. de ædilit. edict.* Sed hoc  
 tunc, si occulta sint & in sensus non incurrentia; Nam si vide-  
 ri possint & ab alio magis diligenti curiosove emtore facile  
 deprehendi, redhibitoria actioni vel exceptioni locus non  
 erit *l. 1. §. 6. & l. 14. §. fin. ff. d. tit.* vid. *Mev. p. 4. D. 49.* paria  
 enim hæc censet Jurisprudencia nostra, scire & facile scire  
 posse. *l. pen. ff. ad Sct. Macedon.* Nec hoc casu ulla venditoris  
 necessaria est admonitio, cum demonstratione vel admoni-  
 tione nulla opus sit, in rebus in oculum incurrentibus. Jura  
 quippe vigilantibus, non vero negligentibus scripta sunt,  
 vid. *l. pupi'is 24. ff. que in fraud. creditor.* & sibi imputare de-  
 bet emtor, suamque accusare negligentiam, quod rem di-  
 53 ligentius non inspexerit. Hinc si lanioni porcus venditus  
 sit grandinibus laborans, das Finnen hat/ actioni redhibito-  
 ria nullus relinquitur locus; Facile enim morbum isthunc  
 per inspectionem palati & linguæ dignoscere poterit arti-  
 fex. *Carpz. p. 2. C. 34. D. 16. Mev. ad Jus Lubec. l. 3. tit. 6. art. 15.*  
*n. 7.* Dixi vero, si lanioni venditus sit: Nam si alius, qui hujus  
 rei peritiam nec habet nec habere debet, emtor extiterit,  
 aliud svadebit æquitatis ratio. *B. Dn. Brunnem. ad l. 14. ff. de*  
*ædilit. edict. n. 9.* Conf. *Dn. Prasf. Tract. de Jure sens. Diss. 1. c. 3.*  
*n. 44. 45.*

Perfecta

Perfecta emtione, venditione & soluto venditori pretio, nihil emtoris refert, quorsum vertatur, neque in hoc Curiosus esse tenetur. Imò, etiamsi sciat, venditorem statim consumpturum pecuniam, tamen in bona fide erit, nisi planè à luxurioso & protinus scorto pecuniam daturus emerit; Sic enim usucapere haud poterit *l. 8. ff. pro emtore.* Il-54  
 lud tamen quæri solet; Si Civitas vel alius, ad quem beneficium *l. civitas. ff. de Reb. Credit.* pertinere supra diximus, rem suam vendiderint, deinde verò ob læsionem contractum restituti sint, an hoc casu emtor, si pretium repetere velit, versionem in utilitatem vendentis probare necessarium habeat? Affirmativam multi tuentur, quos videre licet ap. *Carpz. p. 2. C. 6. D. 20. n. 1. & Dn. Lauterb. in Disp. ad l. civitas. c. 3. b. 14.* Sed Negativam receptiorem esse, & dispositionem *d. l. Civitas* ad mutuum, neutiquam verbò ad emtionem venditionem pertinere, asserit *B. Dn. Brunnem. in Comm. ff. ad d. l. n. 17. & ad l. 24. ff. de minorib. n. 8.* hac data diversitatis ratione, quod in mutuo voluntariò; in emtione, venditione verò necessariò & vi contractus pecunia solvatur. *Conf. Marius Giurba in Decisionib. Novissim. Dec. 88. n. 15.*

Progredior ad Societatem: In hac primò Curiositas ad-56  
 hibenda erit iis, qui cum aliis societatem ineunt, ad hoc, ut mores & conditionem ejus, quocum ineunt, cognoscant. Hoc enim si non fecerint, & in talem socium, qui societatis commodis parùm invigilat, inciderint, sibi imputare, & de se queri debebunt. *vid. §. fin. l. de Societat. & l. 72. ff. pro Socio.* Deinde utilis in hoc contractu quoque esse poterit Curiositas 57  
 ei, cum quo sociorum alter proprio nomine, nulla facta societatis mentione, contraxit. Hic enim adversus reliquos socios nullam actionem, cum socium non ut socium respexerit, sed intus, non verò societatis fidem secutus sit. Quod si verò Curiosus fuerit, & pecuniam, quam alter so-  
 ciorum

ciorum proprio nomine ab ipso accepit, in communem societatis arcam illatam esse cognoverit, illudque probare velit, adversus omnes socios fundatam habebit actionem. Vid. *Dn. Lauterb. in Diss. de Sociorum Obligat. c. 5. §. 39. & 45.*

58 Vidimus hucusque Contractus; Ordinis ratio poscit, ut, quando circa modos solvendi obligationem Curiositas necessaria sit nec ne, breviter exponamus. Primus autem modus obligationem solvendi est solutio, nec, ut effectum suum habeat, & ab obligatione solventem liberet, ei fieri debet, cui obligationem distrahendi licentia est. *Zaf. ad ff. tit. de Solut. & liberat. n. 6.* Nam si alii, cui hæc potestas in jure ademta est, ex. gr. si pupillo, si furioso, si prodigo solvatur, adhuc obligatus manet debitor, & ad iteratam solutionem cogi potest; quod tamen limitatur, si Curiosus fuerit, & pecuniam solutam à pupillo, furioso vel prodigo utiliter expensam, & in rem eorum versam resciverit; Sic enim tenebit solutio. *l. 47. ff. de Solut. & liberat. B. Dn. Brunnem. in quest. ad Wesenb. d. 1. qu. 6.*

60 Porro obligatio solvitur Delegatione, quando scilicet Debitor vice sua alium Debitorem, & Creditori stipulanti solutionem promittentem dat. vid. *l. delegare 11. ff. de novat. & delegat.* In hac non exigua ei, cui delegatio fit, incumbit Curiositas, ut videat, qualis ille sit, qui eidem delegatur, an Bona habeat solutioni sufficientia, & an ab ipso commodè  
61 debitum suum consequi possit. In hoc enim, si ante Delegationem sibi non prospexerit, etiamsi postea à Delegato debitum exigere nequeat, nullum tamen adversus Delegantem instituire poterit regressum, cum per Delegationem perinde ut per solutionem prior obligatio tollatur. *l. 8. §. 3. ff. ad SCt. Vellej. Carpz. p. 2. C. 28. D. fin. & sibi imputare debeat Creditor, quòd talem Debitorem sibi delegari passus sit; l. 3. C. de Novat. & Delegat.* Nisi tamen periculum no-

manis

minis à Delegante stipulatus sit; tunc enim pecuniæ, quæ à Delegato servari non potuit, exactio salva est. *l. 45. §. 7. ff. mandati*, quod cautelæ loco observari potest.

Illud quæsitum fuit, an Creditor, cui Delegatio fit, in-62  
quirere opus habeat, ex quam causa, vel ex quo contractu  
Delegatus debeat, & an exceptione quadam tutus sit? quod  
negatur in *l. 19. ff. de Novat. & delegat.* Jam tum enim Cre-63  
ditori nullum imminet periculum, & illæ exceptiones, quas  
Delegatus Deleganti opponere poterat, cessant, ex ratione in  
*d. l.* subiecta, quod non facile scire possit secundus Creditor,  
quid inter eum, qui Delegatus, & Delegantem sit actum; aut  
si scit, dissimulare debet, ne videatur Curiosus. Restringsi-64  
tur tamen isthæc decisio, & sic Curiositas quædam Credito-  
ri injungitur. (1) in delegatione minoris. Hic enim, si cir-  
cumscriptus promiserit, Delegatus quoque setuebitur ex-  
ceptione adversus eum, cui delegatus, cum duret circum-  
scriptio. *d. l. 19.* (2) in delegatione mulieris, quippe, quæ  
exceptione SCti Vellejani se defendere poterit. Obiter hic65  
notari poterit distinctio, quam in *l. 17. ff. ad SCt. Vellejan.* fa-  
ciunt jura. Plurimum scil. ibidem interesse dicitur, utrum  
cum muliere quis ab initio contrahat, an alienam obligatio-  
nem ex. gr. per Delegationem in eam transferat. Hoc ca-  
su diligentior, id est, prout explicat *Gosbofr. ad d. l. Curiosus*  
debet esse Creditor, quale & unde illud debitum sit, in quod  
delegatur. Illò verò neutquam. Hinc etiam si Creditor66  
Uxorem in commodum Mariti contrahere sciat, nihilomi-  
nus Uxorem non juvari scribit *Magnif. Dn. Brunnem. ad l. 13.*  
*C. ad SCt. Vellejan.* ob rationem, quam subjicit, *quia Creditor*  
*non tenetur curiosè nimis inquirere, in quem usum. Mulier pecu-*  
*niam datam convertat*; modò tamen Creditor ab ipsa Uxore  
interpelletur, non à Marito. Hoc enim si factum, color  
quæsitus apparebit, & exceptioni Senatûs-Consulti locus fiet.

A Delegatione differt Cessio nominis vel actionis. Illa quippe & Delegante & Delegato sciente & consentiente fieri debet; In hac verò Debitoris cessi scientia non requiritur, *l. 1. C. de Novat. & delegat.* Per illam, quia solutionis supplet vices, prior obligatio tollitur, & nova inter Creditorem, cui Delegatio fit, ipsumque Debitorem Delegatum contrahitur; In hac verò prior & post cessionem salva manet, atque hinc eadem exceptiones, quæ cedenti obstant, cessionario quoque, quod in Delegatione itidem secus se habet, opponi, ipsumque debitum à cedente exigi, & à Debitore eidem impunè solvi poterit, nisi inter cessionarium & cessum Debitorem lis contestata, vel aliquid ex debito solutum, vel Debitori cessio jam tum denunciata sit, *l. 3. C. d. tit.*

68 Quid verò, si nullum horum factum sit, sed Debitor Curiosus fuerit, & aliunde, nomen cessum esse, resciverit, poteritne adhuc cedens exigere debitum, Debitorque solvere? Variant in hujus quæstionis decisione Dd, quod videre est ap. *Dn. Brunnem. in Tr. de Cession. act. c. 5. n. 22, & 23.* Alii quippe eandem negant, quod & facit *Hillig. ad Domell. l. 15. c. 43. lit. n.* Alii distinguendo respondent, quos sequitur *Salgado in Labyr. Creditor. p. 1. c. 27. n. 50. & seqq.* Nos cum *Dn. Brunnem. all. l. n. 24.* isthanc scientiam non sufficere, sed adhuc denunciationem necessariam esse, statuimus. In iis enim casibus, ubi denunciatio pro forma requiritur, sola scientia non sufficit. Vid. *Barbosa in Axiomatibus sub Voce Certus. Axiom. 4.*

## CAPUT V.

DE

# Curiositatis effectu in actibus privatorum illicitis.

SUMMA.

SUMMARI A.

<b>D</b> elicta quoduplicia? n. 1.	An hoc modo tangens in foro civili puniri possit? 22.
Furtum à Domesticis commissum non adeo graviter punitur.	2.
Hujus constitutionis ratio. 3. 4.	Tacite paciscuntur cum Diabolo, qui ejus ope futura pradicunt. 24.
Ob omissam Curiositatem debitam ex L. Aquilia agi potest. 5.	Eorum pœna. 25. 26.
Curiositatis effectus in injuriis. 6. 7. 8.	Quid, si vera pradicerint? 27.
Si alterum interrogaverim, an fur sit, an detur injuriarum actio? 9.	Pœna eorum, qui Magos consulant. 28.
Astrologus an injuriarum teneatur, si consultus alterum futurum dixerit? 10.	Uusus Virgula Mercurialis. 29.
Curiositatis effectus in crimine lesa Majestatis. 11.	Tthesaurus per eam indentus Fisco cedit. 30.
Conscij hujus criminis etiam puniuntur. 12.	Curiosus circa literas alienas falsum committit. 31.
Illud ab unoquoque denunciandum. 13.	Quid, si quis putet, literas ad se scriptas esse? 32.
An denunciare teneatur, qui probare non potest? 14. 15. 16.	Princeps tempore belli aperire potest. 33.
Si quis conjugatâ cognoscens, eam pro soluta habeat? 17. 18. 19.	Quando privatus. 34.
Curiositatis gratiâ tangens an peccet? 20.	Qui contenta literarum non propalat, quomodo peccet? 35.
Quid sit, Curiositatis gratiâ tangere? 21.	Vasallus literas Domini aperiens feudum amittit. 37.
	Qui illicito modo arcana alterius rescidit, quomodo peccet? 38.
	Conclusio. 39.



1. **P**ostquam de Curiositate circa actus privatorum licitos hactenus nonnulla dicta sunt, jam, quatenus ejusdem intempestiva vel adhibitio vel omissio actum illicitum sive delictum vel efficit vel concomitatur, brevis suscipienda tractatio. Sunt autem delicta vel vera, vel quasi.
2. Vera iterum subdividi solent in privata & publica. Inter privata primò loco ponitur furtum, quod, si à Domesticis committatur, non æquè gravi pœna coercetur, quàm si ab extraneo, ob *L. Perspicendum 11. §. 1. ff. de pœnis*. Solent circa
3. constitutionis hujus rationem solliciti esse Dd. Videtur enim primò intuitu fur ejusmodi domesticus duriori multandus supplicio, tum quia ab extraneo facilius cavere sibi potest Dominus, & vix à tali absque concurrente aliqua Domini culpa furtum perpetrari potest, tum quia eò improbius est
4. ejus factum, quò arctiori necessitate nobis est obstructus; Verùm perplacet inter alias, quæ dari solent hujus legis rationes, illa quoque, quæ ex Curiositatis Patrifamil. convenentis omissione repetitur: Scil. boni Patrifamil. est, illorum, quos familiæ suæ adscribit, mores diligenter & curiosè scrutari, & non indistinctè quemvis recipere, sed eos, quibus, quorumve moribus diffidit, excludere; Quod si itaque omiffa isthac Curiositate quisquam receptus sit, illeque deinde Domino furtum fecerit, sibi sanè suæque negligentiae imputare debet Dominus, quò domesticorum mores diligentius non exploraverit, atque sic æquè acrem, ac ab extraneo vindictam exigere haud poterit. *Illustris Dn. de Schwerin de Serv. corrupte. p. 2. c. 4, §. 6.*
5. Eadem debitæ Curiositatis omiffio L. Aquiliæ actioni locum quoque facit. Quod enim culpam quandam admittat is, qui diligentiam sibi incumbentem non adhibet, tam expeditum est, ut prolixa demonstratione opus non habeat. Jam verò, ubi culpa concurrat, eademque probari potest, ibi validè

validè quoque L. Aquiliz actio instituitur. Sic in l. 27. §. 9. ff. ad L. Aquil. quæritur, si fornacarius servus coloni ad fornacem obdormivisset, & villa fuerit exusta, an adversùs colonum Domino competat actio? & respondetur, utique competere, si probari possit, colonum in eligendo ministerio negligentem vel non satis Curiosum fuisse.

6.

Inter privata delicta ultimum est injuria, circa quam Lessius de I. & I. l. 2. c. 11. dub. 4. n. 20. talem proponit quæstionem: An is, qui delectatur eloquentiâ detrectatoris & curiosa cognitione factorum proximi, non tamen desiderat, ut ille detrahat, mortaliter an verò venialiter tantùm peccet? Et resp. ipsum venialiter tantùm peccare. Tunc verò, si vel delectetur damno proximi, vel eloquentiâ & curiosa cognitione ita lætetur, ut placeat ei, quod alter detrahat, mortalis peccati reum esse. Verùm nos, quia cum Du. Ziegl. ad Lancelot. l. 2. tit. 6. §. 4. nullum peccatum naturâ suâ veniale agnoscimus, huic quæstioni tanquam inutili diutius non immorabimur, sed distinctionem illam casui utiliori applicare tentabimus, quærendo scil. an ille, qui hoc modo eloquentiâ detrectatoris & curiosa cognitione factorum proximi delectatur, injuriarum actione conveniri possit? Quod negatur. Solum enim illud gaudium, quod super detrectatoris eloquentiâ & dicta cognitione concipitur, quamvis in conscientia vix excusari queat, & complacentiæ quoddam, prout Moralistæ loquuntur, delictum involvat, in se injuriosum non est, nisi quædam hujus detrectationis accedat approbatio. Hæc quippe si accesserit, & non in mente tantùm retenta, sed & per verba quædam expressa sit, injuriarum agi posse, nullus dubito, cùm de injuriandi animo satis constet, quippe qui in injuriis potissimùm attenditur. l. 3. §. 1. l. 4. ff. de injur. l. 5. §. 10. C. eod.

7.

8.

9.

Quid verò si quis Virum quendam, an fur; vel Virginem, an meretrix sit, interrogaverit, poteritne taliter Curiosus injuriarum actione pulsari? quod affirmandum ducō; quia

omnis,

- omnis, qui hoc modo de alterius famæ vitæque integritate interrogat, dubitat. Illa autem, quæ absque præcedentibus legitimis indiciis concipitur dubitatio, injuriosa est & Legibus adversa, quippe quæ volunt, ut quilibet tam diu bonus præsumatur, donec contrarium demonstrari possit, *arg. l. 51. ff. pro Socio. l. 8. §. 1. ff. de probat.* Atque ex eadem ratione contra Judices intemptivè & absq; indiciis specialiter contra hunc vel illum inquirentes, injuriarum actionem concedi, supra-
10. dictum fuit. Cum Astrologo verò vel alio, qui aliquam illicitam divinationem pollicetur, si consultus aliquem furem dixerit, qui non erat, injuriarum agi non posse, decisum est in *l. 15. §. 13. ff. de injur. & famos. libell.*
11. Ad delicta publica transeundum est, ex quibus primum crimen læsæ Majestatis. In hoc nociva quoque esse poterit Curiositas, si effectum quendam eadem habuerit, curiosusq;
12. illud, quod compertus est, non denunciaverit. Quia enim in hoc crimine omnes quoque conscii, neque illi solum, qui ministri sunt conjurationis, seque ejusdem reddiderunt participes, sed & alii, qui nudam criminis assecuti sunt scientiam, tenentur, & arbitrariâ poenâ, quæ tamen ad capitale supplicium extendi potest, afficiuntur. *Mynsing. Cent. 5. Obs. 40. n. 1.* quilibet cavere debet, ne in scientiam ejusmodi criminis
13. incidat, vel si inciderit, statim denunciare; adeo ut nullam promissi silentii fidem, imò ne ipsum quidem confessionis sigillum, à denunciatione se deterrere sinat. vid. *Dn. Praeses in Disput. de Revelat. Credent. c. 5. n. 17.* (Quamvis contrarium statuere Moralistas Pontificios ex illo Jesuitæ Garnetti, qui nefandum illud scelus, ubi supposito pulvere pyrio Rex Angliæ cum toto Procerum Conessu seu Parlamento Vulcano consecrandus erat, in confessione detectum celandum existimavit, exemplo satis dilucidè appareat.) Aliàs enim capitis jacturâ taciturnitatem, quæ aliàs rarò nocet, expiare necessum
14. habebit. Quid verò si quis talia contra Principem molimina probare

probare nequeat, adhucne ipsum stringet illa ad denunciandum obligatio? Ratio dubitandi illa est, quia in *l. 3. C. ad L. Jul. Majest.* torturæ subjiendus dicitur accusator, qui accusationem de hoc crimine probare non potest. Conflictantur iterum in hujus quæstionis decisione Interpretes. *Bartolus* quippe in *l. utrum. ff. ad L. Pompej. de parricid.* indistinctè tenet, non revelantem capitis pœnâ plectendum esse. Alii contra, quos videre licet apud *Mynsing. alleg. loc. n. 5.* censent, si quis secretò tales tractatus sciat, forsân quia ei secretò ac sub fide fuerint revelati, & sic certò illos docere nequeat, ipsum non teneri ad revelandum, quia se in præsentissimum torturæ periculum conjiceret. Nemo autem revelare obstrictus est, quando imminet periculum in corpus suum. Sed optimè hos fluctus, composuit *J. C. Brunnem. in Comm. C. ad L. quisquis. s. C. ad L. Jul. Majest.* ubi dicit: Ejusmodi conscium, si probare nequeat teneri revelare conspiracyonem, non per modum accusationis, sed per modum admonitionis & suggestionis privatæ; sic enim illud torturæ periculum evitabit. *Conf. Menoch. de arb. Jud. quæst. l. 2. c. 35. n. 10. & Mynsing. alleg. loc.*

Adulterium quia nihil aliud est, quàm alienæ voluptatis Curiositas, secundum *Plurarb. in libr. de vitanda Curiosit.* intactum quoque nobis relinquendum non est. Et initio quidem dubium quoddam occurrit circa illum casum, si quis dicat se conjugatam, cum qua rem habuit, pro soluta habuisse, an scilicet is ab ordinaria adulterii pœnâ hac sua opinione se liberare possit? *Carpz. in Praxi Crim. qv. 61. n. 42. & seqq.* affirmativam tueri videtur, ipsumq; delinquentem ignorantiam suâ juramento probare debere, statuit. Verùm quia hoc modo plurimi adulteri ignorantiam prætereendere possunt, & vix centesimus tam arctæ conscientia est, ut juramentum, præsertim si in capitis periculo constitutus sit, recuset; Adhæc quoque ignorantia tunc, si rei illicitæ operam det ignorans, non prodest, vid. *Carpz. d. l. qu. 5. n. 14.* non adeo tuta videtur

hæc decisio, ipseque adulter ab ordinaria pœna vix absolvendus erit, nisi Curiosum se quadantenus fuisse, & mulierem, an soluta, an verò conjugata sit, ante delictum interrogasse, probare possit. Nam si tunc eadem se solutam affirmaverit, ipse extra dolum erit, quippe sine quo adulterium non committitur, per *l. 63. ff. ad L. Juliam de adult.* cum ad hoc certa requiratur scientia, quod sit uxor. vid. *Dd. all. à Corpz. all. l. 94. 61. n. 42.*

20. De tactu Curiositatis gratiâ à Moralistis passim tractato commoda sese offert agendi occasio, an scilicet ille peccet, qui alterius Uxorem in loco prohibito Curiositatis gratiâ tetigit? Ad hujus quæstionis meliorem intellectum dicendum antea erit, quid sit, Curiositatis gratiâ tangere? Explicat illud *Lessius de Just. & Jur. l. 4. c. 4. Dub. 11. n. 82.* ubi, illum curiositatis gratiâ tangere, dicit, qui tangit sciendi, judicandi, vel discernendi causâ ea, quorum notitia ad ipsum nihil attinet, atque hac posita explicatione illum tangentem, si nullam voluptatis imaginationem concipiat, non quidem mortaliter, venialiter tamen peccare, asserit *d. l. c. 3. Dub. 8. n. 62.* Verùm quemadmodum nos, quod supra diximus, nullum peccatum naturâ suâ veniale admittimus; Ita illum Curiosum, si peccet, mortalis peccati reum esse, statuimus. Quod autem peccet, exinde manifestum est, quia res ad ipsum non pertinentes

22. cum injuria quadam alterius inquirat. Sed illud quæri posset, an in civili foro pœnæ obnoxius sit? Et quamvis cum *Less. all. l.* facile largiar, periculosam esse illam Curiositatem, & paucos inter Curiositatem & voluptatem, adeo exactam facere distinctionem, ut, quando illius causâ tangit, non hanc simul concipiat; Attamen si dentur tales, eos impunes planè relinquendos non esse auctore, ne alii quoque ad periculosam hanc Curiositatem impunitate alliciantur. Videri de hac materia prolixius poterunt *Anton. Dian. Resolut. Moral. Tom. 2. Tr. 6. de Matrimon. Resol. 189. sqq. Sæpb. à S. Paul. Theol. Moral. Tract. 1. Diss. 5. Dub. 3. n. 25.*

Progre-

Progredior ad Magiam, in qua cum Dæmone dupliciter pacisci solent, vel expressè scilicet vel tacitè. Expressè paciscuntur illi, qui DEO Creatori suo renunciant, foedus Baptismi rescindunt, Filium DEI abnegant, ejusque beneficia detestantur, contra Diabolo homagium præstant, obsequium perpetuum promittunt, & se suasq; animas ejusdem potestati tradunt; Tacitè verò paciscuntur, qui absq; expresso foedere quid commercii cum Diabolo exercent, & scientes superstitionis observationibus inhærent. *Carpz. all. l. qu. 48. n. 10. 11.* Ad hos quoq; referenda est illorum Curiositas, qui arte diabolica divinare, & futura vel occulta prædicere conantur. *Leff. all. l. 4. C. 4. D. 11. n. 84. Carpz. qu. 50. n. 37.* quales sunt, qui in crystallo, in speculo, in vitro polito diabolum interrogant de rebus furtò amissis; item qui cribro hunc in finem utuntur, quos aliàs, si fæminæ sint, fluge Frauen germ. appellare solemus. Atq; hi, quemadmodum non exiguo crimine se obstringunt; ita pœnæ quoque iis dictatæ sunt gravissimæ. Notabilia sunt verba *L. Nemo s. C. de Malef. & Matbem.* ubi dicitur: *Nemo Auspicem consulat, nemo Mathematicum, nemo Hariolum; Augurum & Fatum præva confessio conticescat. Chaldaei ac Magi & ceteri, quos maleficos ob facinorù magnitudinem Fulgus appellat, nec ad hanc partem aliquid moliantur; Sileat omnibus perpetuò divinandi Curiositas. Etenim supplicio capitis ferietur, gladio utroque prostratus, quicumq; iustis nostris obsequium denegaverit.* Concordant huic legi verba *Serenissimi Saxonis*, quæ habet *p. 4. Const. 2. §. fin.* quæ hæc sunt: *Daß auch die/so sich unterstehen aus des Teuffels Kunij wahr zu sagen/oder mit dem Teuffel durch Crystallen oder andere Wege Gespräch oder dergleichen Gemeinlichafft zu halten/und sich von ihme geschehener oder zukünftiger Dinge Bericht und Erforschung zu erhalten/mit dem Schwerte vom leben zum Tode sollen gericht un gestrafft werden.* Ex quibus liquet, gladii pœnam manere eum, qui artes divinatorias, diabolq; in auxilium vocato, exercuerit. Neq; hic ulla fieri debet distinctio, an Magi Dæmonis consilio adjuti, vera prædixerint, &

verbis effectus corresponderet, nec ne. Pœnam enim non ideo patiuntur, quòd mentiti sint, sed quòd detestando Dæmonis colloquio & nefanda ejus familiaritate utâtur. *Carp. all. l. n. 42.*

28. Hoc adhuc quadantenus dubium est, quam pœnam merentur illi, qui ejusmodi Magicos Divinatores consulunt? Quod de jure civili æque capite truncandi sint ac ipsi illi Prophetæstri, verba *all. l. 5. C. de Malef. apertè* satis innunt. Sed hanc mortis pœnam non adeo simpliciter dictandam, sed pro circumstantiarum diversitate quandoque mitigandam esse, statuunt Dd. Sic si in bonum finem quis consulat, ex gr. ut sanitatem vel res ablatas recuperet, pœnitentiam vel carceris pœnam ei imponendam esse; Sin verò in malum finem, ut aliis noceat, illum, si damnum effectum non sortitum sit, relegandum, si verò effectum habuerit & aliquis per malefìcium perierit, capite mulctandum esse, asserit *Berlich. p. 4. concl. 5. n. 72, 74. & seqq. Conf. B. Dn. Brunnem. in Proc. Inquis. c. 9. n. 19.* ubi consulentes Magum, si dolo fecerint, gladio feriendos, si verò ex simplicitate, arbitrarie puniendos scribit.

29. Pertinet huc quoque illa quæstio, quid statuendum sit de virgula Mercæriali, der Wünschelruthe / quam in inquirendis thesauris adhiberi solere cernimus, annon circa illam quoque illiciti quicquam occurrat, & ejus usus prohibitam quandam curiositatem involvat? Quod asserere non dubito. Concurrunt quippe in ejus usu multa supersticiosa, de quibus vix ratio aliqua dari potest. Requirit enim ad illam, ut die Johannis hora duodecima præparetur, quod superstitionem sanè sapit, cum illa die singulis annis non semper eadem sit constellatio, ex qua alias virgulæ virtutem & operationem repetere volunt. Requirit porrò, ut in versis manibus teneatur, & pars illa, quæ thesaurum versus inclinare solet, ad pectus dirigatur; Quod itidem superstitionem quandam involvit, & consequenter pactum quoddam

dam implicitum cum Diabolo vid. *Gryphiand. in Oecon. legal. l. 1. c. 20. §. 40.* Ex quo colligo, thesaurum ei, qui hoc modo invenit, relinquere non debere, sed à Fisco vindicari posse, cum Magicis artibus quæsitus sit, quippe quæ in thesaurorū inquisitione adhibendæ non sunt. vid. *Carpz. p. 2. C. 53. D. 6. n. 9. & Dn. Struv. in Jurispr. Rom. Germ. l. 2. tit. 1. §. 57.* Quamvis consuetudine hæc non attendantur.

Restat ut de Curiositate circa literas alienas aliqua quoque addam, quam ad falsi crimen communiter referunt ob *l. 1. §. 1. §. 1. 16. §. 2. ff. ad L. Corn. de Falsis*; Quod procedere puto tunc, si (1. literas alienas aperiens sciat, illas esse alienas (2. si id faciat sine justa causa (3. si id faciat animo secreta promulgandi & alteri nocendi. Hæc enim requisita si non adsint, falsi reus non erit aperiens. Sic si quis literas alienas ad se scriptas putet, forte quod idem sibi nomen sit ac illi, ad quem literæ erant exarata, falsi crimen aperiendo non admittit, cum justa penes ipsum sit ignorantia, *Menoch. de Arbitr. Jud. Quest. l. 2. C. 538. n. 7. Nicol. de Passerib. de Privata Scriptura l. 3. qu. 2. n. 4.* modo tamen silentiò involvat contenta, & in alterius præjudicium eadem non propalet. Hoc quippe si fecerit, & literas alii ostenderit, extra pœnam non erit; Nam licet in literarum aperiitione nullus adfuerit dolus, adfuit tamen in propalatione vid. *Dn. Presf. in Diss. de Credent. Revel. c. 4. n. 39.* Sic quoque non peccant Principes & Ministri publici, qui tempore belli vel hostium vel etiam aliorum literas aperiunt. Cum enim, quod supra docuimus, Curiositas in eo, qui bellum dirigit, summè necessaria sit, & ille dimidium fere victoriæ in manibus habeat, qui eadem legitime utitur, Principi vel alii Reipubl. commodis invigilanti vitio dandum non erit, si hanc potestatem sibi arroget. *Busenb. in Med. Theol. Moral. l. 5. c. 3. D. 2.* præsertim cum privatū quoque alienas literas licitè aperire posse statuunt, si iisdem damnum quoddam sibi vel proximo injuste parari, juste timeat. *Busenb. all. l. Mol. de Just. & Jur. Tom. 4. tr. 4. Diss. 36. n. 6. Conf. Dn. Michaelis Resp. 22. p. 309.*

Porro falsi crimen quoque non perpetrat ille, qui literas alterius quidem aperit, non tamen, ut adversario ejus ostendat, sed solius Curiositatis gratia, ut scilicet sciat, quid iisdem contineatur. In falsi crimine enim necessum est, ut aliquid fiat in fraudem vel damnum alterius; Quod cum non intendat hoc modo aperiens, à falsi pœna liber erit; Quamvis tamen non extra omnem ille sit culpam, sed ob Stellionatū, quod committit, crimen extraordinariè puniri possit, cum mali exempli res sit, alterius literas aperire, sive scribenti per



hoc præjudicium fiat sive non. *Nicol. de Passerib. d. l. Menoch. all. l. n. 5. Conf. Haping. de Jure sigillor. c. 14. n. 54. Tabor in Racemat. Criminal. pag. 9. n. 6. & Dn. Lauterb. in Diss. de Nuncio c. 9. th. 52. ubi casum de nuncio literas sibi concreatas aperiente eodem modo decedit.*

36. Extra hos vero casus tanquam falsarius semper puniri poterit ille, qui alterius aperit legitq; literas vid. *Wurms. Pract. For. l. 1. tit. 47. Obs. 25.* Nec refert an clausæ illæ sint, & obsignatæ, an vero jam tum apertæ, an publicæ, an privatæ, an integræ adhuc, an vero dilaceratæ, (de quibus in specie, an scilicet earum conquisitio & lectio licita sit? *Vid. Busenb. all. l.*) Sufficit enim ipsum non scire, nec rationabiliter præsumere posse, Dominum, ut legeret, consensurum *Molina d. 37. l. n. 2.* Si vasallus literas ad Dominum Feudi spectantes aperuerit, ipsum feloniam committere & feudo privari posse, asserit *Rittersbusf. in partit. Feud. c. 5. qu. 24.* præsertim si argumentum earum inimicis Domini ad ejus perniciem revelaverit. Cum enim alias feudi privatione puniatur, si credentiam à Domino sibi commissam aperuerit, per textum *1. Feud. 17.* Multo magis eandem merebitur, si illicito modo secreta Domini resciverit & manifestaverit. Ibi enim unicum tantum admittit delictum per prohibitam scilicet credentiæ revelationem; Hic vero duplex, semel enim peccat, literas alterius injuste aperiendo, altera vero vice secretum illud, in cujus notitiam injusto modo devenit, revelando. *Vid. Molina d. Tract. 4. D. 3. n. 6. Lessius de Just. & Jur. l. 2. c. 11. D. 8. n. 74.*

38. Eadem quæ de Curiositate circa literas alienas hæctenus dicta sunt, in alios quoq; quadrant, qui alio illicito modo notitiam secretorum alterius sibi acquisiverunt, ex. gr. qui Cathedræ pœnitentiali adstantes alterius confessionem auscultant, vel qui ab eo, cui aliquid secreti commissum, dolo perversationibusve suis illud eliciunt. Hi enim si illud in damnum alterius pro palaverint, falsi crimen, si verò Curiositati tantum suæ satisfaciendi gratia auscultaverint, stellionatum committunt; Quod latius deducere exercitii Academicæ limites prohibent.
39. Hinc filium abrumperè & Dissertationi huic Colophonem imponere cogor. Tibi, ÆTERNE DEUS, gratias litans immortales pro concessa hæctenus in studiis gratia; Te verò, B. L. maximo rogans opere, velis ea, quæ in Dissertatione hac asserui, optimè interpretari, & si quid Curiositati meæ desit, tua supplere benevolentia.

Ego benevolæ qui Cenforis judicio lubens me submitto, & meliora monentem promptè sequor.

